ALEXII AURELII PELLICCIA

D E

CHRISTIANÆ ECCLESIÆ

TUM PUBLICA, TUM PRIVATA PRECE

PRO PRINCIPIBUS

Αποδοτε ουν τα Καισαρος, Καισαρι, και τα του Θεου, τω Θεω. Matth. XXII.

NEAPOLI

CIↃICCCLXXVIII.

EX OFFICINA MICHAELIS MORELLI.

PUBLICA AUCTORITATE.

MARIÆ . CAROLINÆ
SEMPER . AUG.
AUSTRIACÆ . ARCHIDUCISSÆ
FERDINANDI . IV. CAROLI . F.
REGIS . NOSTRI . P. F. A.
CONJUGI . LECTISSIMÆ
ET . MATRI
CAROLI . TITI
SERENISSIMI . PRINCIPIS . JUVENTUTIS.

C*um nihil videri possit*, INVICTISSIMA AUGUSTA, *ac nihil plane sit Christiano cive dignius, quam Reipublicæ consulere; iisque Natura imprimis, atque Relligione institua-*

mur officiis, ut neque nihil agamus, neque si quid agimus, tantum nobismet ipsis inservisse, communem caussam neglexisse videamur: ut primum ad scribendum animum appuli, omnes ingenii mei cogitationes in id unum intendi, quò, iis posthabitis, quæ juveni adhuc menti in deliciis esse solent, ea seligerem argumenta, ex quibus utilitatis, atque emolumenti aliquid Christiana caperet Respublica; quo quidem consilio, mearum pene virium immemor, eo incitabar, eaque inflammabar cupiditate, ut animo ad magna quæque, atque præclara parato ferri mihi viderer. Ea autem commoda, quibus Rempublicam florere videmus, unius, ejusdemque naturæ non esse comperimus; cum alia a Politico Regimine, alia a Relligione proficiscantur; illa consiliis tum pacis, togæque sociis, tum belli, atque armorum, hæc pietatis officiis, animique virtutibus contineantur. At ipsa per se Christiana Relligio, individua pacis, atque belli comes, optimo cuique civi utrumque pandit ad gloriam aditum; quamobrem Christianus Civis, sanctiora edoctus munera, atque minime fucata pietatis officia, egregia aggreditur facinora, quæ ne tentare quidem ausi sunt illi, qui maximo

ximo olim Patriæ amore inclaruerunt: cum Christiana una excellentissima virtus animos quam quæ maxime addat, ad eamque cives incendat gloriam, quam haud inanis complectitur fama, sed ab interitu illos vindicat, atque Immortalitati homines commendat.

Cum itaque ex Relligione, quasi ab ubere, perennique fonte, publicam utilitatem, ornamenta dignitatis, atque ipsa præsidia stabilitatis Reipublicæ manare intelligamus, ex penitissimis illius visceribus unum haurire, atque tractare studui argumentum, quod omnium civium bono maxime futurum esset: atque fortasse cum ne exploravissem equidem quid ferre recusarent, quid valerent humeri, tanto operi manum admovi; ratus me boni civis partes quodammodo præstitisse, quamquam tenuissimæ vires conceptam forte spem, atque inita studia essent frustraturæ. Quamobrem cum nihil sit ad publicæ rei utilitatem præstantius, nil conducibilius, quam civium amorem, atque reverentiam adversus Principes fovere, quibus Deus O. M. summam potestatem, atque Imperium ita in eos contulit, ut illorum salute nostram contineri, ex illorum una felicitate omnium nostrorum beatitudi-

 nem

nem pendere jusserit; cumque Divini certe muneris opus ipsa sit Principum tranquillitas: hac mea opella civium animos excitare conatus sum, ut votis quam diligentissimis cuncta a Deo bona Principibus studiose precentur, quibus si quando Deus facilis se præbeat, felicissimis temporibus & publica fruatur res necesse est.

Hoc profecto argumentum iis, quibus tenuis ingenii mei facultas sivit, numeris elaboravi: Imperii stabilitatem ipsimet inniti Relligioni, ejusque diuturnitatem, atque tranquillitatem Christianæ Reipublicæ votis fulciri ostendi; in quo latum illud animadverti discrimen antiquam inter Paganorum Principum, atque Christianorum felicitatem: Illi sane armorum strepitu, ferro, minis, pœnis, coborte, turma libertatis ingenitam libidinem coercere ne vix quidem potuerunt; nutanti admodum Imperio usi, ut metuerent ne, an in metum populos conjicerent, imperarent ne magis, an inrequietis animi fluctibus jactarentur, dici procul dubio nequeat. Hos porro, quibus ipsemet Deus summa hominum jura tradidit, veluti Dei O.M. Imagines Christianus civis reveretur: Hos ea prosequitur mentis, animique benevolentia,

tia, qua complecti eos fas est, quos Deus ipse summi Imperii sui consortes veluti adscivit. Hinc quemadmodum arma, immanes cruciatus, atque ipsa pallentis mortis ora vicit olim Christianæ Relligionis indoles; ita quot quot insunt humanæ mentis latebris libertatis appetitus una vincit eademque Relligio, quæ præ libertate ipsa Principem unice diligere, eique morem gerere, Illumque ex animo adamare imprimis nos docet; quare quo vacillans Paganorum illud, eo stabilius vestrum Imperium, vestra stant jura. Ipsemet Christus, Relligionis nostræ Divinus Auctor, quas ea in re tulerit leges, quid Apostoli docuerint, primum explicavi: Mox Martyres, sanctissimæ nimirum veritatis locupletissimos testes adhibui, qui qua reverentia, quantoque amore vel sævissimos Imperatores prosecuti sint, Relligione ipsa insitum vitæ amorem ad miraculum vincente, egregia facta, ingenuæ voces, piissima illorum vota testantur. His Græcorum, Latinorumque Patrum, omnium cunctarum ætatum latissime patentis Ecclesiæ Episcoporum dictata adjeci, quæ quis quis legerit vel Christianum vereatur nomen opus est, vel si is est mente, qua & Relligione, incredibili pene amore in Principem

 fer-

ferri, atque vehementissima dilectione erga Illum inflammari confestim se sentiat, oportet, ejusque intimam mentem summa Principatus reverentia procul dubio pervadet. Ipsamet tandem Ecclesiæ disciplina luculentissimum mihi præbuit Christiani hujus officii argumentum; cum illa inter maximas rerum vicissitudines nusquam ferventissimum adversus Principes amorem vel paululum remiserit, vel antiqua cunctata sit vota, quin illa ubique gentium Deo O. M. cum ipsamet Immortali, Divinaque Christiani Fœderis Hostia pro Principibus obtulerit. Qua de re cum Majorum exempla magnam in hominum animis habere vim, experientia compertum nobis sit, iis imprimis studui dilucidandis, enarrandisque, ut civium mentes Christiano hoc Principum amore, quantus esse præterea nullus potest, informarem, qui tantis excitati exemplis quà animi contentione, quà supplicibus votis, Regi, TIBI, Principibusque omnibus diuturna a Deo bona precarentur.

Hanc itaque Dissertationem, quam pro Christiana devovi Republica, Augusto Nomini, Faustissimoque Numini Tuo dicare non vereor. Quamquam enim tenuissimum hoc humillimi, novissimiq. hominis votum

ex-

excelsum illud tuum, amplissimumque Thronum nusquam adire ausum esset; ipsa nihilominus argumenti majestas tantum deposcit, ac potentissimum sibi vindicat Patrocinium Tuum, in quo positam esse nostrorum omnium beatitudinem, atque felicitatem, nulla est bodie neque tam remota gens, quæ non intelligat, neque tam inimica, quæ non fateatur, ac prædicet. Tu etenim Præstantissimæ, Magnæque Parentis Tuæ, Augustæ nimirum Illius mori immeritæ, egregia Justitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis exempla (quæ perenne Memoriæ Templum posteris æternum commendabit) ad miraculum in Te exprimis, atque Illius antiquam pietatem, animi magnitudinem, Divinum prope consilium ita æmularis, ut ipsummet Exemplar imagine quandoque ipsa prope vinci videatur; Quamobrem nemo est, qui cum ad TE *ora converterit, non se affici subita voluptate sentiat, atque hoc velut tacitum testimonium ortus inde tui, splendidissimæque originis agnoscat; quæ sane arcana animorum consensio, qua omnes in* TE *nos ferri sentimus, Originis Tuæ nulli comparandum splendorem, insitæ dignitatis quasi lineamenta, ipsamque præcellentis naturæ bonitatem, satis te-*

sta-

ſtatur. Si enim populorum votis umquam Deus obſecutus eſt, noſtris certe facillimum ſe præbuiſſe, fatendum erit, qui procul dubio experimur quanta, ac quam grandis ſit Chriſtianæ precis vis, dum tuis fruimur fauſtiſſimis Auſpiciis. Deus profecto eſt, qui TIBI *parem tot rebus providendis, perficiendiſque animum dedit; Hunc habes capiendorum conſiliorum auctorem, hunc exequendorum ducem, ac præſidem: Hic in dubiis eam tuæ objicit menti lucem, ut non tam de incertis exiſtimare ſapienter, quam vel ipſa proſpicere futura videaris. Quare omnium animos ad ſe rapit mira illa, atque maxima conſenſio, qua* TE *Auguſtarum Sapientiſſimam, atque Fortiſſimum Regem Noſtrum* FERDINANDUM IV. *noſtrum felicitati ita allaborare videmus, ut Parentum loco Te, Regemque Fortem, Pium, Providentem, populorum amantiſſimum, eorumque bono natum merito habeamus. Hinc quemadmodum aureæ ætatis Sæculis non eſt cur invidendum nobis ſit, ita & apud exteras gentes feliciſſimi merito audimus; cum iis vel ornamentis, vel præſidiis ab bene, beateque vivendum redundemus, quibus majora eſſe nulla poſſunt.* TU *ſane Regis fortitudinem,*

nem, qua dudum vitæ quandoque ipsimet, Inauditum veteribus facinus! populorum felicitatem, quæ ex Illius pendet incolumitate, prætulit, æmularis; Ille tuam pietatem, qua cunctis morum sanctimonia, atque præstantissima Relligione exemplo es. Tu celeres Illius ingenii motus, quibus Invictus Rex noster id, quod plerique nec usu plurimorum annorum, nec assiduitate bellandi consequi potuerunt, sola naturæ felicitate adeptus est, admiraris; Ille tuam admiratur navitatem, consilia, invictæ, excelsæque mentis indolem. Tu Regis Justitiam, quam ille suo sibi jure ut propriam, eximiamque virtutem adsciscit, ac vindicat, intueris; Ille Tuam intuetur Magnanimitatem, Divinumque Tuum obstupescit animi robur.

Hæc profecto sanctissima virtutum omnium contentio, qua nostro certatis bono, quæque omnium nostrum admirationem in TE, *atque Regem concitare videtur, Dei, O.M., cujus aures nostris patuere supplicibus votis, est certe donum; hinc quemadmodum præclare factorum Tuorum* TIBI *socia neque ipsa se se offerre audet fortuna; ita & nos lætissima, quibus fruimur, tempora Deo primum, Tibi, Regique Optimo accepta*

re-

referre non dubitamus. Ipſa enim ultro id fatetur ſors, quæ cum ſit temeritatis comes, neque cum ſapientia commiſceri queat, tacita ſtupet, demiraturque Divinos illos animi impetus, quibus Auguſti ad res magnas excitantur, maximeque communi hominum generi ſalutares. Id autem perſuaſiſſimum TIBI *eſſe, mira illa pietas tua abunde teſtatur, qua omnia conſilia ad Deum refers, Deum ipſum in rebus omnibus Ducem ſequeris, Ejuſque Divinam opem in adverſis, dubiiſque rebus imploras: quare numquam Divino illo genio tuo ſatis tu indulſiſſe videris, niſi cum vel Sacris Officiis diu, noctuque indefeſſam operam dare, vel in Templis ſumma Relligione verſari ſtudeas; qua equidem in re tanto es populis exemplo, ut in Te una, quam præſentem intuemur, cujus piiſmam mentem cernimus, abſolutiſſimum Relligionis ſpecimen refulgere videamus. Hinc Deus Tuis, Regiſque, atque noſtris annuens votis, fœcundiſſimam* TIBI *indulſit Prolem, ac in eo potiſſimum* CAROLO TITO, *Tui, noſtrumque Delicio, nobis omnibus ad bene de omni Republica ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſſe videtur.*

Tan-

Tanta igitur cum ſit pietas tua, tam admiranda Relligio, cumulatiſſima noſtrum beatitudo cum tuum, perinde ac Regis Sapientiſſimi ſit opus, atque cuncta tandem Deo O. M. accepta cum ſint referenda, qui Chriſtianæ Eccleſiæ vota audiens, quo ſunt illa ferventiora, eo felicius Tibi, Regi, Reique publicæ omnia ſuccedere juſſit; maxima illa atque blandiſſima utere comitate, benignitateque tua, qua cum ſubditas gentes humaniſſime excipias, meæ non dedigneris opellæ Summo adeſſe Numine Tuo. Illa etenim Tibi offert mei, tuorumque populorum amoris, atque dilectionis vota, deſideria, ſtudia, ut longius etiam illa, qua nos, noſtraque complecteris, benevolentia progrediatur; Tuumque Imperium felicitate, atque populorum beatitudine nulli comparandum, nulli ſecundum umquam futurum ſit.

Tuque interea, DEUS O.M., Auguſtorum Noſtrorum Parens, mei, populorumque ſuſcipe vota, facilemque nobis Te præbeas, quæſo. Tu REGI, *Patri (cujus Imperii memoria omnium in amore, atque deliciis æterna erit) ſimillimo potentiſſimas tende adjutrices manus: Te Illi præbe Ducem præſentiſſimum; ejuſque Regnum, bel-*

lo

lo longe propulso ; pace florere , felicitate frui , atque bonorum omnium copia diffluì jubeas . Tu Augustæ REGINÆ *nostræ Pietatem , Clementiam , Mansuetudinem , Justitiam, Prudentiam, Sapientiamque foveas . In Tuam Tu Illam ita recipias fidem , atque tutelam , ut nulla umquam ætas monumentis gloriæ suæ allatura sit finem . Tu* CAROLO TITO *, Patris , Avique vestigiis ingresso , immortalis gloriæ iter commonstra , ut eximias Titi Imperatoris , cujus nomen secundo omine tulit , virtutes non æmuletur , sed & vincat . Tu incolumem , florentemque omnem reddas Augustam Domum ; ut & nostra felicitas æternum sit Illorum Monumentum : & Augustorum Nostrorum Regnum vigeat memoria Sæculorum , Illud posteritas alat , atque ipsa etiam intueatur Æternitas . Quod* TIBI *, semper Augusta , faustum , felix , fortunatumque esse Numini, Majestatique Tuæ Dicatissimus opto .*

Humillimus , Addictissimusq. subditus Tuus.
Alexius Aurelius Pelliccia.

L. B.

CUm Christiana Relligio summi amoris, atque sanctissimæ illius reverentiæ, qua subdita gens Regem prosequi oportet, ipsa unica sit, atque prima magistra, supervacaneum forte nonnullis videbitur hoc, quod aggredimur, opus. At quis quis sanctiorum præceptorum, optimarumque legum conditionem noverit, plane intelliget ætatis progressu ea, quæ usu ipsomet fiunt, vel languide, vel oscitanti etiam animo plerumque fieri. Quamobrem a primis usque Sæculis Christianæ Reipublicæ Antecessores, Latinæ nimirum, atque Græcæ Ecclesiæ Patres, iis etiam legibus, quibus imbuti nimium erant Christianorum animi, illos adhortati sunt, cum homines ita vel optimis adsuescere officiis compertum haberent, ut sensim usu magis, quam animo illis operam navarent. Hinc etsi nil sit Christianos inter antiquius, nil ipsimet naturæ, atque Relligioni magis consentaneum, quam supplicia Deo O. M. vota pro Principe offerre, eique ea precari bona, unde omnis emanat Reipublicæ tranquillitas; iis studere officiis vel parce nimis, vel verbo tenus mihi visi sunt quan-

doque fideles. Cum itaque, Historia duce, explorata mihi fuerit Christianæ hujus precis vis, qua maxima fulciri Imperia, publicam stare pacem vidi; alacri animo huic scribendæ Dissertationi mea contuli studia, ut literarum mearum negotia aliquo essent Christianæ Reipublicæ emolumento. Sane ex Literarum, quibus homines bene multi devovuntur, studiis vel nullam, vel parum plerumque utilitatis Rempublicam capere videmus: neque, qui literis omnem insumunt vitam, boni civis partes explere mihi videntur, nisi publico illæ sint quodammodo bono. Id, quod cum omnium omnino civium sit, eos maxime interesse debet, qui Ecclesiastico Ordini nomen dedere. Illos enim quamquam Princeps publicis obeundis muneribus immunes effecerit, nusquam attamen nativi societatis officii vacationem habere sivit; hinc vitio iis maxime vertetur, si nihil aliud malint, quam procul negotiis, quieto otio, atque jucunda contemplatione, voluptatibus iis, quæ mentem, animumque pascant, ætatem insumere. Imo illos publicis commodis inservire præ ceteris decet, quos muneris ipsa conditio Divinitati viciniores fecit. Divinam enim Naturam videmus numquam ab ope-

opere feriantem ; non solum ut humanæ res esse ; sed ut bene etiam , atque commode possint . Sacerdotes itaque , quibus Christus ipsam fidelium felicitatem quodammodo commendavit, atque ipso Ordinis charactere, ministerii sui partem contulit, infœcundis, inanibusque studiis operam abuti, injurium societati est ; quamobrem Divinam consuetudinem, quatenus homines possunt , imitati , sic animum instituere debent, ut aliorum, non sui caussa illos vixisse, experimento Respublica sentiat.

Hæc autem non quò meæ quodammodo scriptionis apologiam facerem, dixi; sed ut frustra me huic non insudasse argumento, vel illi intelligant, qui cum Ecclesiæ ministerio fungantur, inficete admodum huic, de quo edisserimus, officio vacant . Vidi equidem , atque vidisse puduit, Sacerdotes quandoque aut verbo tenus Apostolicis precibus pro Principe languidam operam præstitisse ; vel illarum etiam vim, atque rationem plane ignorasse . Quæ erit eorum cura in instituendis fidelibus? Unde nam argumenta eximia illius reverentiæ erga Principem depromere, illos dicemus? Quare mirum non erit populos aliquando summa illa , atque turpi laborare ignorantia

officiorum, quibus ipsa obligantur Relligione Principi, qui Dei ipsius O. M. Imaginem in Republica refert, cum Principi Ille suprema contulerit jura, quibus regimur, atque gubernamur. Tum itaque sacris Ministris, tum Christianis reliquis meos devovere labores brevi hac Dissertatione, decrevi; cum enim Majorum exempla, eorumque sententiæ maximam in hominum animos habere vim quotidie experiamur, illud imprimis studui, ut virorum, qua morum sanctimonia, qua Apostolico munere, qua Martyrio, atque doctrina clarissimorum exempla, atque sententias Christianorum oculis objicerem, ut hi tanto excitati, atque inflammati argumento, & Principatus indolem prope Divinam perspectam habeant, atque iis sedulo studeant precibus, ex quibus Principis, perinde atque Reipublicæ tranquillitas, ociumque promanat; adeoque vel propriam vereatur negligentiam is, qui aliquando languida vota pro illius præstitit optabili bono. Si profecto huic bene verterit Deus argumento, meorum laborum non infœcundam, neque parvam capiam utilitatem; ac forte impavido, & minime trepidanti animo tenuissimi operis mei rationem Christo Iudici summo

mo

mo referam, qui cum ab omnibus, tum potissimum ab iis, qui Sacris Ecclesiæ Ordinibus initiati sunt, frustra collocati temporis pœnas sumit.

Hoc autem argumentum etsi altissime repetere possem vel ex ultima populorum, eorumque Historiæ antiquitate, ex ipsamet nihilominus Christianæ Ecclesiæ Traditione, atque disciplina desumere malui, atque pauca de Hebraica Ecclesia vel obiter attinxi. Cum enim suapte natura utilitati, atque brevitati imprimis studeam, ab iis abhorrui usque pigmentis, quibus plerumque nostro redundant ævo literatorum opera: mihi enim supervacaneum prorsus videtur quicquid in argumenti propositum per se non redit, atque iis præsertim parcere nescio, qui Christianæ Relligionis caput aliquod cum tractent, multam operam abutuntur iis exponendis argumentis, quæ ex Prophana proficiscuntur Historia. Novi quandoque magni id genus argumenta facienda esse tum, cum antiqua gentium dogmata, vel nostram confirmant sententiam, vel aliquando morum nostrorum ipsam detegunt, aut patefaciunt originem. At hæc profecto posthabenda plane videntur argumenta, cùm ornamento dumtaxat esse comperimus, ne,

ne, dum lectorum patientia abutimur, inanis cujusdam, atque inordinatæ gloriæ amore capti magis, quam argumenti veritatis studiosi videamur. Ea itaque de caussa, quamquam vetustissima Græcorum, atque Latinorum Historia summi populorum studii erga Principem præbeat monumenta: quamquam ipsa Paganorum Liturgia & illos pro Principe Diis vota obtulisse, testis locupletissima sit; ne eruditionis potius, quam veri caussa huic argumento manum admovisse viderer, ex uberrimis Relligionis nostræ, minime nimirum fucatæ veritatis fontibus, aquam attingere satis superque habui. Si enim id genus argumenta ex antiqua proferre historia maluissem, non injucundam forte exhibuissem lectori scriptionem: annis enim abhinc novem, cum classicos tum Græcæ, tum Latinæ historiæ Auctores perlegerem, brevem quandam scripsi opellam de Sacri, politicique regiminis origine, *quam si fata, ut ait ille, sinant, publici juris facere spero. In ea autem historia hoc Paganicæ Liturgiæ caput selectissimis monumentis, undique conquisitis, adornare pro viribus studui, atque* την γνησιοτην *hujus Liturgicæ precis originem, Homero ipsomet, atque Herodoto (quibus ceteri*

con-

constitere) antiquiorem esse, ostendi.

Quamobrem unum dumtaxat obiter heic lectorem monitum volo; cum ipsamet nimirum Monarchia hanc inter homines ortam esse precem, quod, ut innumera præteream, uno conficiam argumento. Justinus enim Historicus testimonio Nicolai Damasceni, atque antiquissimus omnium Sanconiaton apud Eusebium Pamphilum in Præparatione Evangelica testantur, Syrorum Regem Damascenum subditis populis primum Liturgiæ auctorem fuisse, cujus Liturgiæ pauca, quæ supersunt, monumenta habemus inter Sanconiatonis fragmenta, atque Hellandi illa penes Eusebium, atque Photium, quæ selectissimis Commentariis illustrarunt Cumberlandus, atque Heideggerus in sua Patriarcharum Historia. Damascenus autem, teste eodem Eusebio, atque Justino Historico, Syriæ regno potitus est uno ante ipsum Abbrahamum Sæculo, cum Damascenus ipso Nino, qui Abbrahamo suppar habetur, centum fere annos antiquior fuerit. Inter illa itaque tradita a Damasceno Liturgiæ fragmenta precem publicam pro Principe legere est.

Igitur nemo inficias ibit cum ipsa Monarchia, cujus ferme Conditor merito anti-

ti-

tiquissimus Damascenus ille habetur, Liturgicam precem coortam esse. Quamobrem cum Gallo Syriaca Liturgia una cùm Dea Cibele ex Possinunte Romanos inter translata fuit, ut Arnobius narrat; etiam antiquam precem pro Principe secum tulit. Cum enim extremo laboraret morbo Marcus Aurelius Imperator, Archigallus, *nimirum Gallo-Syriacum Sacrorum Antistes, precem pro Imperatore de more indixisse, testatur Tertullianus in Apologetico*: Archigallus ille Sanctissimus ... pro salute Imperatoris Marci Aurelii, jam intercepti, solita æque imperia mandavit. *Hoc unum adtexere libuit, ne lectores precem banc Paganos inter ipso Homero antiquiorem non esse arbitrentur, ut passim nostros opinatos esse vidi.*

Tu itaque, Christiane Lector, nostra hæc ne satis habeas legisse, nisi & Majorum nostrorum, quæ admiraturus heic eris, summam erga Principem reverentiam, maximum in Illum amorem, nusquam intermissas eorum preces, imitatus, iisdem in posterum officiis sedulo studeas; id quod Tibi, atque Christianæ Reipublicæ bene vertat Deus. Vale.

PRAELOQUIUM.

Cum honos, quo Principem ſubditæ gentes proſequi debent, ex ipſa proficiſcatur ſupremæ poteſtatis idea; mirum nemini erit Paganæ Relligionis homines Principi fronte, haud mente obſecutos eſſe, cum vel nullam illi, vel omnino depravatam ſummi Principatus ideam haberent. Quamquam enim Summæ Poteſtatis indoles, ipſimet rationi conſentanea jure videatur, philoſophia imprimis magiſtra; hi nihilominus, qui vano philoſophorum nomine ſe ſe jactabant, immodico ſuimet ipſorum amore elati, veram Principatus ideam nullimode adſecuti ſunt; quod vel magis ipſis accidit rudioribus Paganæ gentis hominibus, quorum mens vitiis conſopita, vel ipſis rationis ſenſibus impervia erat. Quamobrem Pagani Summum Principis jus, ejuſque leges velut injuriæ ſervitutis jugum ſpectarunt, illudque pro re nata excutere imprimis habuerunt, quod vetus paſſim teſtatur Hiſtoria.

Cum enim homo ita natura comparatus ſit, ut libertatis amore ante omnia capiatur; niſi, ratione duce, ſibimet mini-

me ſufficere ſenſerit, æquo animo alterius pati nequit imperium. Ea ſane ratione ipſi Philoſophorum principes olim decepti ſunt. Ipſorum ſiquidem illuxiſſe aliquando mentibus, homines cupidine, illecebriſque abreptos, proprio minime conſtare regimini, ea, quæ docuerunt, philoſophiæ præcepta dilucide oſtendunt; at iisdem præceptis propriam vitæ rationem moderari renuerunt: vicit ſane arcana libertatis libido, adeoque Principe, qui legibus, pœniſque homines compeſceret, nullatenus indigere arbitrati ſunt. Verum cum illi, ut publica fruerentur re, legibus obſequi, Principemque vereri invito quamvis animo tenerentur, ſpecie Principis jura venerati, imo pectori viliorem Principatus ideam fovere ſtuduerunt, contenti ſi non re, animo ſaltem nullo contineri ſublimiori ſupremi juris officio. Ex ea itaque idea, quæ omnibus, tum e Philoſophorum ſchola, tum e vulgi populo, Paganorum animis inſidebat, quam leve, atque infirmius fuerit veterum illorum Principum Imperium, facili negotio colligere licet, cum haud ſpeciem, ſed ſubjectæ gentis animum firmioris Imperii fulcimen eſſe, experientia magiſtra, conſtet. Ex

Ex his aperte intelligimus veram Principatus ſummi ideam nonniſi Chriſtiana Religione duce comparari poſſe, quæ, quo honore Principem proſequi fas ſit, nos plane docet. Hæc etenim Religio, qua rationi integrum manet imperium, potiſſimum Supremi Principatus fulcimentum eſt (*a*). Ipſa ſane nos docet, quod *non eſt Poteſtas niſi a Deo* (*b*): *quod inde eſt Imperator, unde & homo antequam Imperator* (*c*) : *cum omnis poteſtas non ab homine, ſed a Deo ſit* (*d*). (I). Chriſtiana

 iti-

(*a*) *S. Johan. Chryſoſt. comm. in epiſt. ad Rom.--Facit Apoſtolus hoc, ut oſtendat, Chriſtum Leges ſuas non ad hoc induxiſſe, ut politias evertat, ſed ut melius inſtituat.*
(*b*) *Apoſt. epiſt. ad Rom. cap.*XIII.
(*c*) *Tertullian. Apolog. cap.*XXX.
(*d*) *Rufin. Aquil. comm. in Pſalm.*LXXIII.

(I) Supremæ Poteſtatis, quæ *αμεσως immediate* a Deo Principibus traditur, luculentiſſimum exprimitur ſymbolum in quamplurimis Chriſtianorum picturis, numis, ſignatoriiſque annulis. In iis enim videre eſt manum, quæ e nube protenſa, Principis capiti coronam imponit illius plerumque formæ, quæ a Romanis Etruſca, ſive Triumphalis appellabatur; cum coronam ſupremæ Auctoritatis ſpecimen eſſe, dilucide oſtendat Paſchalius in ſuo Tractatu *de Coronis*. Vide ejuſmodi picturas tum apud Mabillonium in 1. tomo Muſei Italici, tum apud Ciampinium in Veteribus Monumentis Muſivis. Sigilla vero habes apud Gotlieb Einnecium in eruditiſſimo opere *de Sigillis veterum*,

itidem edocemur Relligione, Principem Dei Ministrum nobis in bonum esse, cujus potestas a Deo certe est, cum *quæ sunt Potestates, a Deo ordinatæ sint* (a), qui

terum, quot quot enim apud illum prostant annuli signatorij Regum, atque Imperatorum, illud exhibent symbolum.

Eo autem spectasse videtur Johannes Euchaitarum Metropolitanus in suo Poemate εις Στεφανωθεντας υπο Χριϛου, *de his, qui coronantur a Christo*, iis:

Ου χειρ κραταια τους κραταιους Δεσποτας
Εστεψε Χριστος, και παρεσχε το κρατος.
Non manus fortis fortes Imperatores,
Sed Christus coronavit, ipseque Imperium dedit.

Hinc inter honoris titulos, quibus olim Imperatorem decorarunt, recensetur illud: *A Deo Coronati*, vel *a Deo Imperii Sceptra sumentis*. Sic Facundus Ermianensis Annalium lib.XII. pag.406. de Theodosio Magno locutus. *A Sacratissimo*, ait, *ejus avo ter beato, & a Deo Imperii Sceptra-sumente Theodosio*. Penes Græcos idem invaluit titulus; hinc tum in Epistola Zachariæ Romani Pontificis Imperatori Copronimo, tum in Legatione Theoriani de Alexio, atque Emmanueli Comnenis legimus, Imperatores Θεοστεπτους appellari, h. e., *a Deo Coronatos*. Idque videre licet in antiquis Latinorum Imperatorum Diplomatibus: quare apud Eginardum habetur: *Carolus Augustus a Deo Coronatus*. Imo maximi hac in re momenti videntur precum formulæ, quibus Orientales in Liturgia pro Imperatoris Natalitiis utuntur; in illis sane passim Θεοστεπτος ille appellatur in Codice Bibliotecæ Regiæ numero 2023, apud Cangium,

(a) *Apost. ibid.*

qui propriæ potestatis illos quodammodo participes facit (*a*) ; quamobrem Apostolus merito ex his colligit, Christianos Principibus subditos esse *necessitate non solum propter iram, sed propter conscientiam*, nimirum, ut Apostoli sententiam perbelle explicat Augustinus (*b*) : *Non solum ad iram evadendam, quod simulate etiam fieri potest; sed ut in tua conscientia certus sis illius dilectione te facere, cui subditus fueris jussu Domini tui*.

Forte & Paganis id innotuisse videtur, qui armorum strepitu, ac pœnarum apparatu nativa hominum licentia nusquam teneri experti sunt : neque populos animo Principibus obsequi, nisi eis persuasum esset, ipsamet Numina Principibus proprii, summique Imperii non mediocrem fecisse copiam. Hinc factum est, ut vetustissimarum gentium Reges utraque potirentur potestate, Regali nimirum, atque Sacerdotali; Pontificio enim jure insigniti, Diis proximiores, quasi Numinum administri populos moderabantur; imo & populis eam alte ideam indere studebant, Deos

(*a*) *Id. ib. Ministri enim Dei sunt.*
(*b*) *Enarrat. III. in Psalm.* XXXI.

ipsos illorum regimini præesse. Qua de re omnium Paganæ Theologiæ Scriptorum antiquissimus Homerus, postquam in Odyssea a *Jove summum Regibus proficisci honorem* dixit; eos, addit, vel ab ipso Jove Sceptrum, atque supremum jus, velut a Summo Principe accipere σκηπτρον τ' ηδεμιςας, ινα σφισιν βασιληυη. Mirum itaque nemini erit, veteres Poetas appellasse Principes διογενεις *a Jove ortos*, vel διοτρεφεις *a Jove educatos* (*a*). Inde mihi videtur promanasse illam omnium Nationum sententiam, quæ Deos ipsos aliquando publicam earum rem moderatos esse, arbitratæ sunt. Sic Memphyticis, Thebanisque exploratum erat, Aegyptiorum Imperium duodecim millium annorum spatio penes Deos ipsos fuisse. Syri eorum Numen *Adad*, Phryges Cibelem, Cretenses Jovem, aliæque gentes Deorum alium propriam rexisse Rempublicam in comperto habuerunt (*b*). Hinc penitissimum admirari licet veterum Legumlatorum consilium, qui quo iis, quas ferebant, legibus populorum animos fle-

(*a*) *Vide Herodot. L.* II. *c.*XCIX, *Plutarch. in Iside, & Osirid.*, *Aelian. de Anima L.*XI. *c.*X., *&* XL.
(*b*) *V. Diodor. Sicul. Lib.*II. *c.* XXXIV. *&* XXXVIII.

flecterent, Deos ipsos illas tulisse dictitarunt, certe rati, vel leve pondus legibus ut ut sapientissimis, justissimisque addere Principis imperium, nisi earum Auctores ipsamet viderentur Numina. Ea sane arte ceteros ea in re præstitit vetustissimus Cretensium Rex, atque Legislator Minos (*a*), quem eam ob rem *sapientem Deorum familiarem* dixit Homerus. Eumque secuti sunt Orfeus (*b*), Licurgus Thracum Rex (*c*), Zataustes, vel Zatraustes Arismasporum Princeps (*d*), Zalmuxis auctor Libri *Zundavastaw* apud Persas (*e*), Charondas primus Thuriorum Legumlator (*f*), Bremis Codicis Legum Indorum Gedrosiæ, vulgo *Chaster*, Auctor (*g*). Eodemque tandem consilio Romanis Leges tulit Numa, quem politices scientiam Pytagoras, uti fertur, edocuit (*h*).

(*a*) *Euripid. in Alceste, Lucian. de Astrolog. p.137. edit. Cantabrig., Aristoph. in Ran. Act.* IV. *scen.* II.

(*b*) *Clem. Alex. Stromat. L.* II., *Ephor. apud Strab. L.* X.

(*c*) *Diodor. Sic. L.* I.

(*d*) *Id. L.* II.

(*e*) *Euseb. Præpar. Evang. L.* II.

(*f*) *Porphyr. L.* II. περι εμψατ.

(*g*) *Ex Megastene ap. Clement. Alexandr. Strom. L.* I., *Diodor. Sicul. L.* II.

(*h*) *Plutarch. in Numa, Clem. Alex.* i5.

At fictis hisce, quos Pagana Relligio praetexuit, titulis, minime indiget Christiana, cujus Auctor Christus, veritatis fons, atque origo, duplicem nos docuit esse Potestatem, Sacerdotii unam, Imperii alteram, quarum utraque a Deo promanavit; quamobrem quo Deum Optimum Maximum imprimis habere, eique obsequi, atque morem gerere tenemur non fronte, sed suapte mente; eadem prope ratione Principem, qui Divini quodammodo Imperii particeps est, venerari, eique obtemperari haud specie, sed re ipsa cogimur. Sicuti Divinis Legibus non timoris, sed supremæ Dei Potestatis ergo; ita & Principis, ejus Ministri, illis nos obsequi conscientia præter pœnarum metum fas est. Qua tandem ratione Deo, quod Dei est, reddere tenemur; eadem & Principi, velut Dei Ministro, quæ ejus sunt, reddere nos oportet (*a*). Hinc majores nostri, atque Sanctissimæ Relligionis Patres docuere, inter præcipua Legis Christianæ præcepta illud merito habendum, quo Principem honore prosequi

(*a*) *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Matthæi c.* XXII. *v.* XXI.

qui, ejusque sequi voluntatem docemur (*a*); ipse enim Deus nos docuit, quod *qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit* (*b*). Hæc sunt Christianæ Religionis instituta, quibus, veterum Patrum sententia, conscientia devincitur, quisquis inter subditos recensetur: *Ostendens*, ut ait Chrisostomus (*c*), *quod istæ* (Potestates) *imperentur omnibus*, & *Sacerdotibus*, & *Monachis*, *non solum sæcularibus* . . . . *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*, *etiam si Apostolus sis*, *si Evangelista*, *si Propheta*, *sive quisquis tandem fueris*. Cui profecto concinit Theodoretus (*d*) illis: *sive est Sacerdos*, *sive Antistes*, *sive Monasticam vitam professus*, *iis obediat*, *quibus mandati sunt Principatus*.

Hæc itaque Evangelii disciplina, qua Christo Auctore instituimur, & divinæ nititur voluntati, qua nil nisi bonum imperatur; & honori, quo Deus prose-quen-

(*a*) *V. S. Polycarp. ap. Euseb. Hist. Eccl. l.* IV. *c.* XV.: *Tertull. Apolog. c.* XXXIX.: *Origen. advers. Celsum* L. VIII.: *Rufin. Orat. contra Græc. Bibl. Patr. tom.* II.

(*b*) *Apost. ibid.*

(*c*) *Comment. in Epist. ad Roman. c.* XIII.

(*d*) *Comment. in id. cap. Epist. ad Rom.*

quendus est, cum ille Principem suæ Auctoritatis participem fecerit; & ipsiusmet Relligionis rationi, qua dumtaxat nativum cultum docemur Principis, qui summi Regis Dei imaginem in Republica præsefert; ac ipsæ tandem naturæ, cui summopere consentaneum est, Principem, quem hominum bono parentis ferme loco Deus nobis impertitus est, vereri, eique morigerari, illumque mutua benevolentia prosequi.

Hæc autem cum ita se habeant, eo complectuntur officio, quod cunctis impendet Christianis, juges scilicet preces Deo optimo maximo pro Principis bono fundendi. Cum enim OMNIS ANIMA Evangelicæ doctrinæ officiis erga Principem teneri dictum sit, optimo equidem jure est, cur omnes eo fungantur munere; cui cum ipsa obligentur conscientia, neque Christianæ plebis homines illud exolvent officium, preces illas verbo tenus recitantes: neque Ecclesiastici Ordinis illi Christi præcepto morem gessisse putent, si preces has inter ritus formulas, atque ceremonias habeant, eisque intimis mentis sensibus navare non studeant. Quamobrem nostra hac dissertatione de harum precum mu-

munere dicemus, atque luculentissimis argumentis evincemus, qua mente Patres, ac Relligionis nostræ magistri juges Deo O. M. preces pro Principe fuderint, eisque tum publica tum privata in re studuerint.

§. I.

I. *Inter Hebræos publicæ preces obtinuere pro ipsis etiam Paganis Principibus*. II. *Apostolus orandum esse pro Principibus docuit*. III. *Primo ab Ecclesia condita Sæculo idipsum fit in publica Liturgia*. IV. *Quæ fuerit in ejusmodi præcepto Apostoli mens, explicatur*.

Quamquam de Christianæ Ecclesiæ disciplina heic dumtaxat edisserere statuerim, iis posthabitis, quæ apposite ad rem nostram dici queant ex Paganorum historia; initio tamen operæ pretium erit Judaicæ Ecclesiæ institutum attingere, quam nostræ utiquam Relligioni ea in re præivisse ostendam.

Baruch quippe Prophetarum unus narrat (*a*), Israelitas, qui apud Babylonicos jure belli captivos serviebant, non mediocrem

(*a*) C. I. *v.* X.

trem auri vim aliquando collegiſſe, eamque Elcimo Summo tunc Sacerdoti Jeroſolymis miſiſſe, ut pecora holocauſto immolanda emeret, eaque ſuper ipſum Templi Altare offerret Altiſſimo, cui pro Nabucadnezaris, ejuſque Filii Baltaſaris vita enixas funderet preces, ut eorum dies eſſent, *ſicut dies Solis ſuper terram* (a). Hæc autem, quæ Sacerdoti Maximo præſcribitur, oratio in ipſa publica Liturgia fiebat; ſiquidem cum oblatione holocautomatis conjuncta erat. Mihi autem maximi videtur momenti, Judæos holocauſta obtuliſſe pro ſalute Principis Pagani, cujus ſuberant imperio, Deumque precari, *dies cœli* τας ημερας ουρανου Patri, ejuſque filio offeret, qua phraſi illis optare videntur longævum, beatumque vitæ genus.

Eſdras alterum nobis ſuppeditat hujus diſciplinæ monumentum. Is enim hiſtoriæ libro primo teſtatur, Hebræos, cum ſub ditione eſſent Darii Perſarum Regis, ſacrificia in Templo obtuliſſe, atque publicas Deo precationes feciſſe pro Regis illius bono. Illud profecto vel ipſe imperaverat Darius, qui legem tulit, ut illi *obla-*

(a) *Ibidem*.

oblationes offerrent Deo Cælorum, *quo Regem*, *ejusque filios fortunaret* (*a*), ut Hebraicus Codex habet, Vulgata enim legit: *& orent pro vita Regis*, *& filiorum ejus*. Duo itaque hæc luculentissima argumenta aperte evincunt, Judaicam Ecclesiam pro Principe precari in ipsamet Liturgia.

At his accedit Josephi Flavii auctoritas, penes quem legere est epistolam, quam Petronio Judææ Præsidi scripsere Hebræi tum, cum Romano parebant Imperio; *duplicem equidem*, ajebant illi, quavis die victimam *immolamus pro Cæsare*, *atque Populo Romanorum* (*b*). Id quod passim iisdem libris idem testatur Josephus, de Hebræorum Liturgia locutus. Missa tamen heic facio Hebraicæ Liturgiæ argumenta, in qua quotidie publicæ fiebant preces pro ejusdem gentis, atque Relligionis Principibus. Hujus enim disciplinæ monumenta prostant in Psalmis LXXII., CXVIII., & CXXII., qui in Templo recita-

V. 6. (*a*) דילהח מחקרבינ ניחוחיד לאלח שמיא ומצלינ לחיי מלכא דבנדהי

(*b*) *Joseph. Hebræ. De Bello Jud. L.* II. *c.* XI. *p.*307. *Edit. Amstelodam-* περι μεν Καισαρος, και του δημου των Ρωμαιων δις της ημερας θυειν εφαζαν.

citabantur, velut Liturgicæ id genus formulæ.

Unum itaque ex his consequi maximi momenti argumentum videtur, cum Hebræi non tantum pro propriæ gentis Rege, sed & pro ipsis Paganæ Relligionis Principibus, qui injuria eorum quandoque potiti erant imperio, precarentur. Quod si is erat veteris illius Ecclesiæ mos, quanti erit momenti id genus lex, quæ Christianæ impendet Ecclesiæ, cujus fundamenta in ipsomet jecit Imperio Christus? *Non enim*, ait S. Optatus Milevitanus (a), *Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica, idest, in Imperio Romano*. Hinc optimo jure Apostoli, doctrinæ Christi sequestres, quibus nos erga Principem officiis contineri opus sit docuere, sanctissimisque ea in re præceptis nos instituere studuerunt.

Apostolus profecto postquam Romanos, data illis epistola, propria officia erga Principes docuerat, Timoteo tandem scribens, eumque Liturgicis præsertim rebus erudiens, ait: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gra-*

(a) *L.* III. *contra Donatist.*

gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate; hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire (*a*). Hisce autem verbis, quibus ille Liturgicum præceptum universæ tradidit Ecclesiæ, aliquantulum immorari licet, ut Apostoli mentem adsequamur.

Duplici siquidem argumento munus, quo heic docemur, contineri videtur. Paullus enim Christianos pro Principe, aliisque, qui Reipublicæ præsunt, orandum esse scribit, primum ut publica, privataque re tranquille fruamur, tum quod idipsum Deo Optimo Maximo, cui cunctorum salus curæ est, *bonum*, *acceptumque* sit.

Apostolus præterea laudatis verbis non solum Christianos hortatur, sed illis omni-

(*a*) *Ad Timot. I. c. II.* παρακαλω ουν πρωτον παντων ποιεισθαι δεησεις, προσευχας, εντευξις, ευχαριστιας υπερ παντων ανθρωπων. υπερ Βασιλεων, κ πασντων των εν υπεροχη οντων. ινα ηρεμον, κ ησυχιον βιον διαγωμεν εν παση ευσεβεια, κ σεμνοτητι. Τουτο γαρ καλον, κ αποδεκτον ενωπιον του σωτηρος ημων Θεου. Ος παντας ανθρωπους θελει σωθηναι, κ εις επιγνωσιν αληθειας ελθειν.

nino Liturgicam pro Principe orationem præcepit: clariſſimi quippe Eccleſiæ Patres Chryſoſtomus, Auguſtinus, quos ſequitur Œcumenius, docuere Apoſtolum Timoteo illis verbis explicaſſe ſingulas Myſticæ Liturgiæ partes, eo ut *Orationum* nomine Paullus complectatur, quicquid in Liturgia Conſecrationi Elementorum præit: *Obſecrationum* tum ipſam Conſecrationem, tum Euchariſtici Panis elargitionem; cum tandem *Poſtulationes* dixerit, preces, quæ manus impoſitionem Epiſcopi comitantur, quibus integra continetur Liturgia. Ita Auguſtinus Paulino ſcribens (*a*), Paulli verba interpretatur: *Sed eligo*, ait ille poſtquam alias protulerat expoſitiones, *in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Eccleſia: ut* precationes *accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici*: Orationes *cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur* . . . Interpellationes *autem, ſive, ut veſtri codices habent, Poſtulationes fiunt cum*

(*a*) *Epiſt. ad Paulin. n.* 149. *Nov. Edit S. Mauri tom.* 2. *p.* 154.

cum populus benedicitur . . . quibus peractis . . . gratiarum actio cuncta concludit.

Eadem sensit Chrisostomus hanc Paulli periocham commentatus. *Quid enim*, ait, *sibi vult illud*: *Primum omnium?* (ita exorditur Apostolus). *Idest in cultu quotidiano*, *qui singulis diebus ex ritu ipsius Relligionis fit*. *Id norunt fideles*, *cum tum mane tum vespere*, in Psalmodia nimirum, quæ vespertinum Sacrificium ab antiquis nuncupatur, atque in ipsa Mystica Liturgia, quæ mane fiebat, *preces fundantur pro cunctis mundi hominibus*, *Regibus*, *omnibusque in potestate constitutis* (*a*). Quamobrem Oecumenius Paulli illa eadem mente interpretatus, ait, eam obrem Apostolum Regis *meminisse tempore mysterii*, *cum frequenter sit infidelis* (*b*). In eamdem ultro concedunt sententiam S. Prosper libro II. *de Vocatione gentium*, atque Auctor commentarii in Paulli epistolas, Ambrosii nomine.

 Ita-

(*a*) *Chrysost. Hom. IV. in cap.* II. *ad Timot.* Τι δε εϛι το, πρωτον παντων: τυτεϛιν, εν τη λατρεια τη καθημερινη. κ̧ τυτον ισασιν οι μυϛαι πως καθ᾽ εκαϛην ημεραν. γαρ κ̧ εν εσπερα, κ̧ εν πρωΐα. πως υπερ παντος τυ κοσμυ, κ̧ Βασιλεων, κ̧ παντων των εν υπεροχη οντων ποιυμετα την δεησιν.

(*b*) *Oecum. Comment. in Epist. ad Tim. c.* II. *Oper. tom.* I. *Edit. Lips.*

Itaque in dubiis nemini erit, Apostolum allatis verbis sui ævi Liturgiam complecti, quam optimo jure Apostolicam Liturgiam dicimus. Hinc luculentissimum nobis argumentum præbet publicæ orationis pro Principe, cum præcipuas enumerans, quibus Liturgia constabat, partes, eas inter orationem illam recenseat. Eo enim Paullus neque ritus, neque Liturgiæ ceremonias, sed ipsam nativam Liturgiæ rationem prosequitur, quæ una, eademque ubique Ecclesiarum erat; eamque a Christo Apostolis traditam, ipsi Christianam docuerunt Rempublicam; Quamobrem Ecclesia ad nostram usque ætatem inter potissimas Sacri Mysterii partes Orationem pro Principe habere studuit, ut aperte ostendemus.

Perpendendæ etiam sunt Paulli rationes, quibus nos nostro inservire bono ostendit, dum pro Principe preces Deo fundimus: ait enim, eo nos fungi munere oportere, *ut quietam, & tranquillam vitam agamus* (a). Deus profecto Ecclesiæ rogatu Principis ingenium moderatur, ut recte, sapienterque nostri curam gerat: ab eo bellum prohibet, quo ille divexatus, publicam & a no-

(a) *Ibid.*

a nobis exulare pacem opus eſt, qua plane caret Chriſtianus Civis, niſi *in omni pietate, & chaſtitate* vivat, ſive, ut loquitur Apoſtolus in Græco textu *: juxta præcepta pietatis, atque morum honeſtatis.* Nequit enim in homine Chriſtiano veræ pacis idea a pietatis, morumque ſanctimoniæ illa vel parum ſejungi. Quamobrem pro Rege Deum precati, legibus ſanctiſſimis pietatis, atque juſtitiæ obſequemur, proindeque pace, atque animi tranquillitate, cujus loquitur Apoſtolus, certe fruemur. At proſpexit Paullus ſcrupulum, qui aliquibus forte ſuboriretur: qui ſcilicet orandum eſſet pro Principe, qui Idolis ſerviret; quem eluere ſtudet argumento ſummæ Dei Bonitatis, *qui*, ut ille ait, *vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Jugi ſane Chriſtianorum prece Principes tandem Idololatrico Deus liberavit jugo, eoſque veritatis, qua diu expertes fuerant, participes fecit.

Hinc præter ea, quæ attulit Apoſtolus argumenta, validiſſimam hujus officii rationem addidit Chryſoſtomus (a): *Deus enim*

(a) *Ibid.*

nim, ejus ſunt verba, *pro utilitate communi hos principatus inſtituit. Quam igitur abſurdum eſt, cum illi idcirco militent, & arma circumferant, ut nos in tranquillitate, & otio vivamus, nos, periclitantibus illis, ac noſtri cauſſa labores ſubeuntibus, preces effundere detrectemus?* Vide quanti ſit momenti Chryſoſtomi argumentum: Summæ ſcilicet æquitatis jure tanto tenemur officio; ac ipſis arcanis, intimiſque naturæ legibus adverſatur, quiſquis Principem, qui omnem nobis alendis, tuendiſque operam confert, Chriſtianis precibus juvare negligit. Quare ſuum ita conficit argumentum laudatus Chryſoſtomus: Apoſtolum nimirum *legem* illam, de qua loquimur, *tuliſſe*, *non ut* Principi *blandiretur*, *ſed juſtitiæ jura ſecutum* (*a*). In eamdemque loquitur ſententiam Oecumenius (*b*): *Abſurdum ſiquidem*, ait, *eſſet*, *ipſos* (Principes) *pro communi ſalute defatigari; nos autem, ne id quidem, quod eſt in nobis, auxilii, orationem dico, pro ipſis in unum conferre.* Chriſtianæ itaque, atque natu-

(*a*) *In cap.* 11. *Epiſt. ad Timot.* Ωςε ȣ κολακεια ες̓ι το πραγμα, αλλα κατα τον τȣ δικαιȣ γαρ λογον.
(*b*) *Ibid.*

naturalis justitiæ jure huic obligamur muneri, quod impune negligi nequit.

Verum Apostolus æternum, spiritualeque Principi bonum precandum esse ante omnia docuit, ne quis arbitraretur, Christianas preces hujus vitæ commoda dumtaxat prospicere: *Divinus autem Apostolus*, ait Theodoretus, *non hac solum de caussa præcepit pro illis* (Principibus) *fieri orationes, sed etiam ut ab impietate cessantes, pietatem condiscant*. Quare Augustini sententia, Christianarum precum vis tanti apud Deum fuit, ut ille veritatis lumen Paganis tandem Principibus impertitus sit, eaque ratione pacem, qua diu caruerat, Ecclesiæ reddiderit: *Hoc quippe Deus bonum judicavit, ut orationibus humilium dignaretur salutem præstare sublimium. Quod utique jam videmus impletum*. Eam enim adeptus est gratiam omnium primus Constantinus, quem secuti sunt, qui in ejus Imperii jura successerunt. Quamobrem sicuti olim Christiani juges Deo preces offerebant pro Paganis Imperatoribus, quo illi veræ Relligioni nomen darent; & pro Christianis principibus deinde Deum rogarunt, ut hi Relligioni, sanctioribusque ejus præceptis æternum se se devoverent.

Apoſtolici itaque argumenti vires ſic colligit Chryſoſtomus (*a*): *Quod ſi hæc eadem* (Apoſtolus) *imperavit*, *cum adhuc Principes eſſent Pagani*, *eo magis igitur idipſum pro fidelibus* (Principibus) *fieri oportet*. Quod ſane argumentum Donatiſtis objecerat jam pridem Optatus Milevitanus in Numidia Epiſcopus (*b*): *Merito*, ajebat ille, *Paulus docet*, *orandum eſſe pro Regibus*, *& Poteſtatibus*, *etiamſi talis eſſet Imperator*, *qui gentiliter viveret ; quanto quod Chriſtianus*, *quanto quod Deum timens*, *quanto quod relligioſus*, *quanto quod miſericors*. Chriſtiano igitur civi, qui hæc perpenderit argumenta, exploratum certe erit, Relligione, atque Natura docentibus, Principi mentis, corporiſque bona precari oportere; prima enim illud imperat, altera idipſum docet: illa Dei ea in re legem pandit, hæc, quæ & ingrati animi crimen exhorret, & noſtro præſto eſt bono, iis erga Principem in Republica Parentem officiis ſtudere arcana, atque intimiori voce ſuadet.

Igi-

(*a*) *In cap.* XIII. *Epiſt. ad Rom. hom.* XXIII. Ει γαρ ελληνων οντων τοτε των αρχοντων ταυτα ενομοθετατη, πολλω μαλλον νυν επι των πιςων υτο γινεσθαι χρη.

(*b*) *Optat. Libro* III. *contra Donat.*

Igitur Apoſtoli lex, qua pro Principe orandum eſſe cautum eſt, tum ſingulos Chriſtianæ Reipublicæ cives, tum integram Rempublicam reſpicit, cujus eſt tam in privatis, quam in publicis Sacris tantæ legi morigerari; quare jam tum Orationem illam inter Myſticæ Liturgiæ partes recenſuit, ejuſque præceptum ſecuta eſt Eccleſia. Validiſſima vero, quæ Apoſtolus protulit argumenta, quæque Patrum ſententiis perſecuti ſumus, ſanctiſſimi illius juris fundamenta ſunt, quo & Chriſtianorum quiſque juges Deo O. M. preces offerre pro Principibus tenetur, & ipſamet Eccleſia precem illam in Sacris, quin nativa Liturgiæ parte careat, præterire nequeat.

§. II.

In quo Veterum Patrum, qui tribus ab Eccleſia condita Sæculis ſcripſere, ſententiæ, quæ noſtrum ſpectant argumentum, in medium afferuntur.

Ex ea itaque, quam tulit Apoſtolus, lege, luculentiſſimum *traditionis* argumentum prodiit; qua de re Patres, Apoſtolo-

rum ſcilicet diſcipuli, atque Relligionis Anteceſſores, huic maximopere ſtudere officio nuſquam deſtiterunt, eorumque ſcriptis, atque concionibus eo munere Chriſtianos erudire conati ſunt. Operæ itaque pretium erit, ea heic perſtringere argumenta, quæ venerandæ Antiquitatis Scriptorum reliqua nobis ſunt.

Polycarpus profecto Smyrnæus Epiſcopus, atque Apoſtoli Johannis Auditor, Philipporum illis ſcribens, eoſque ſanctiori erudiens diſciplina, inter ea præcepta, quæ Chriſtianæ temperantiæ intereſt, orationem illam pro Principibus recenſuit: *Pro omnibus Sanctis*, ait ille ex antiqua Cotelerii verſione, *orate. Orate etiam pro Regibus, & Poteſtatibus, & Principibus* (*a*). qua itaque ratione nativa noſtræ Relligionis lex eſt, mutua nos prece juvare, id, quod firmiſſimum illud charitatis vinculum, quo ipſa innititur Chriſtiana Reſpublica, docet; ita ejuſdem momenti eſt & lex altera, qua erga Principem orationis obligamur munere. Neque enim Policarpus Chriſtianos docebat

(*a*) *Epiſt. ad Philip. apud Coteler. tom.* II. *Patr. Apoſtol. pag.* 189. *Edit. Antuerp.*

cebat, nisi id, quod ipsam Relligionis indolem reapse intererat.

At quo dilucidius hujus, in quo nostra versatur Dissertatio, argumentum pateat, scripta adeamus eorum, qui Relligionis Christianæ veritatem, sanctitatemque contra Paganorum insimulationes vindicarunt, tum, cum hi qua ferro, qua confictis criminibus Christi ædificium labefactare, irrito conatu, enitebantur. Omnium primus Christianæ Relligionis caussam egit medio secundo sæculo Justinus, qui cum inter Græcos Philosophiæ magistros jam claruisset, insignior tandem evasit Relligionis Apologista. Is itaque cum duplicem scripsisset apologismum, in altero, quem Antonino Pio Imperatori inscripsit, testes adhibet ipsos Paganos virtutis precum Christianarum.

Illis siquidem in memoriam redigit, eorumque obiicit oculis epistolam a Marco Aurelio Imperatore Senatui datam, in qua ille partam contra spem victoriam precibus Christianorum militum omnino tribuit. En Imperatoris verba: *Humi prostrati* (Christiani milites) *neque pro me uno, sed & pro cuncto, qui aderat, exercitu*

citu preces fuderunt (*a*). Hinc bona, quæ Reipublicæ Romanæ Christianorum precibus obvenerant, Justinus describit; proindeque illos Imperii incolumitatis, pacisque diuturnæ auctores merito habendos esse, ostendit: *Nos*, sic Romanos clarissimus Martyr alloquitur, *congregati*, *atque commilitantes pro tuenda pace*, *pluris sumus*, *quam homines cuncti* (*b*).

Post hæc tandem, quo animo Imperatori parerent Christiani, ostendit; quippe qui illum veluti Dominum, summo in eos jure a Deo donatum, revererentur, atque indolem explicat illius precis, qua Christiani Deum rogabant, tum ut Princeps tranquille, pacateque Imperio diu frueretur, tum ut Deus ipse ejus menti illud præberet lumen, quo Rempublicam recte, sapienterque gereret. Hæc est egregia tanti Martyris doctrina, qua etiam usus est ille, cum contra Judæum hominem Triphonem Christianorum caussam patrocinatus est.

Post

(*a*) *Apologia* II. Ριψαντες εαυτοις επι την γην, ου υπερ εμου μονον εδεηθησαν, αλλα και υπερ του παροντος στρατευματος.

(*b*) *Ibid. pag.* 59. *Edit. Biblioth. Patr. tom.* I. Αγωροι δ' υμιν, και συμμαχοι προς ειρηνην εσμεν παντων μαλλον ανθρωπων.

Poſt non multum temporis, quo Juſtinus ſecundum hunc apologiſmum Imperatori ſcripſerat, Antiochiæ Epiſcopus Theophilus ſuos exaravit libros, Autolico inſcriptos, qui quidem in eo maxime verſantur, ut Paganorum maledictis, quibus Chriſtianam Relligionem injuria perſequebantur, reſponderet. Itaque inter crimina, quorum illi Chriſtianos inſimulabant, imprimis erat: Chriſti diſcipulos nullo loco Imperatorem habere, eumque nihili æſtimare. Plura, ut huic ſatis faceret crimini, protulit argumenta Theophilus; præ ceteris vero ei eſt oratio Chriſtianorum, qua pro Imperatore Deum precantur: nequit enim, ejus ſententia, dilucidius proferri argumentum ſummi illius honoris, quo Chriſtiani Imperatorem proſequebantur; adeoque illos hortatur ut huic ſtudeant officio, illudque ſatis habeant, quicquid invida Paganorum mens in eos effingeret: *Itaque homo . . . . .*, ait ille, *Regem quidem, ſive Cæſarem honora: Honora, inquam magna cum benevolentia, ſubjectus ei exiſtens, & orans pro eo* (*a*). Ea igitur, quæ Principi præſtanda

(*a*) *Theoph. Lib.I. contra Calumniatores Relligion. t.* 1. *Biblioth. Patr. part. II. Edit. Lugdun.*

da est, obedientia, neque a metu, neque ab animi fictione proficiscitur, sed ab ipsamet *benevolentia*, qua pro illo pariter orandum esse docemur. Hinc ille sequitur: *Hæc faciens Dei voluntatem exequeris; nam Divinæ Legis hic tenor est: Honora Fili mi Deum, & Regem, nec umquam eorum inobediens sis*. At hæc neque satis habebant Pagani, qui crimini vertebant Christianis, nolle illos Cæsarem adorare; quare Theophilus suum ita conficit argumentum: *Honorabo Regem, sive Cæsarem, non tamen eum adorabo, verum pro eo orabo*. Nemo igitur Christianos inter sive primi, sive infimi subsellii homo in Relligione foret, Principi morem gerere verebatur, dum inter potissima honoris illius argumenta, quo Imperatorem ex Christi, atque Apostolorum institutis prosequi fas erat, orationis illud referrent.

At ceteris fusius hoc idem persequitur argumentum alter e Græcorum schola Philosophus, atque Christianæ Relligionis Patronus, Athenagoras, in ejus Apologismo, quem labente Sæculo secundo, Marco Aurelio Imperatore, scripsit. In eo sane ita Imperatorem Romanum alloquitur: *Nos pro vobis precamur: Deum roga-*

rogamus, ut Filius Patri in Regno succedat; quod jus est, ut Imperii fines patescant. Vobis ut omnia optato, atque prospere eveniant, quæ vestro cedunt bono; ut dum dies, vitamque tranquillam diu nobis Deus impertiatur, nos vestris præceptis alacri animo morem gerere quam qui maxime possimus (*a*). In hac sane sententia Relligionis Christianæ indoles maximopere elucescit, perinde ac vehementior ille amor, quo erga Principem majores nostri ferebantur. Incredibile enim vel dictu foret, id genus preces tum illos egisse pro Imperatore, qui Relligionem insectabatur, eosque maximo persequebatur odio, nisi munus illud, ipsa Relligione docente, illos non teneret.

Ipsa profecto Relligio communem hanc Christianorum omnium menti sententiam instillabat, cum ejus præceptis certum, exploratumque illis esset, Deum ipsum Imperatorem eorum regimini præfecis-

(*a*) *Athenagoras Legatione pro Christ. n.* XXXVII. *to.* 1. *Biblioth. Patr. Græ. Lat. Edit. Paris. p.* 333. Περι μεν της υμετερας ευχομεθα, ινα παις μεν παρα πατρος, κατα το δικαιοτατον, διαδεχηται την Βασιλειαν αυξησιν δε ϗ επιδοσιν, ϗ η αρχη υμων παντων επιχειρουν γιγνομενων λαμβανη. Τουτο δ' εϛι ϗ προς ημων: οπως ημερον, ϗ ησυχιον βιον διαγοιμεν αυτοι δε παντα τα κεκελευσμενα προθυμως υπηρετοιμεν.

ſe , eumque a Deo jus omne , quo in illos potiebatur , accepiſſe. Imperator ſane alter a Deo illis erat, atque uno dumtaxat Deo minor juxta Tertulliani phraſim : *Imperatorem . . . Hominem a Deo ſecundum . . . & ſolo Deo minorem* (a). Quam ob cauſſam Chriſtiano civi ſatis non erat, ſpecie Principi honorem præſtare, niſi & intimiori animo arcanam quandam erga illum dilectionem foveret, atque omni illius tum præſentis, tum futuræ vitæ bono ſtuderet. Hanc eſſe Chriſtianæ Relligionis puriſſimam indolem teſtatur eloquentiſſimus Carthaginienſis Eccleſiæ Sacerdos Tertullianus, qui Relligionem ipſam emaculare ſtuduit, eique Patronus adfuit ſuo luculentiſſimo apologismo apud Severum Imperatorem. Is itaque ex Chriſtianorum ſententia locutus, ait : *Inde eſt Imperator , unde & homo antequam Imperator*. Qua nimirum ratione homo ex ipſa prodiit Dei manu, eadem & Imperatori a Deo αμεσως promanavit ſummæ poteſtatis jus, quod nativum merito appellamus. Hinc ſequitur ille: *Inde illi poteſtas , unde & ſpiritus*. Hæc

(a) *Tertull. ad Scapul. lib. II. p. 39. Edit. Venet.* 1744.

Hæc quæso perpendant verba audaciores illi ardeliones, qui etsi Christiano insigniti nomine, cum vulgi philosophis ineptire, quam Majorum doctrinam sequi, malunt. *Illuc sursum*, (Tertullianus) *suspicientes Christiani, manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus; precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus; vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, Populum probum, Orbem quietum, & quæcumque hominis, & Cæsaris vota sunt* (a). Quis inquam inter Christianos, hæc legens, ad reverentiam erga Principem sanctissime excitari nequit? Cuncti itaque orabant, atque jugis equidem precibus, quo Deus Imperatori elargiretur dies longævos, Imperii securitatem, eique fortis in bello adesset exercitus, atque fidus præsto esset in pace Senatus: ut populus ex animo ejus legibus obtemperaret: ac tandem, ne cum aliis Principibus bellum committendum ei foret. Hoc sane publi-

(a) *Tertull. Apologetici c.* xxx. *p.* 102. *Edit. Venet. Haverc.*

blicæ Imperatoris rei interest. Verum Christiani his non contenti, pro privata etiam ejus re preces Deo offerebant, ut domestica etiam potiretur tranquillitate, & ut ejus votis ne dum publicis, sed & privatis etiam Deus blandiretur. Forte id assentationis ergo Christianos dicere, Paganis videri poterat; quamobrem Tertullianus sequenti *Apologetici* capite, Paganorum voces mutuatus, ait: *Adulati nunc sumus Imperatori, & mentiti vota ad evadendam scilicet vim*. Quibus per ironiam respondet, scilicet hæc magnopere Christianis prodesse: *Planc proficit illa fallacia*. Paganorum enim Imperatorum morem illis carpit, qui nullo umquam loco vel luculentissimas Christianæ Reipublicæ rationes habere solerent; adeoque nulla eos spe adduci posse, eorum animos flectendi fictis hisce assentationis pigmentis. Qua vero de caussa Christiani eo fungerentur munere, ostendit, dum Apostoli Paulli verba in medium proferens, Divina lege eo illos teneri docet. Postremum tandem, quod Paganorum menti suboriri poterat, scrupulum diluere conatur, cum hi vitio Christianis verterent, eos nolle Imperatorum

Na-

Natalitia Romanorum more colere. Hinc ille ostendit publicis votis Christianos Imperatorum festos dies omnino prosequi, quamquam a Paganorum ritibus abhorrerent: *Quia veræ Relligionis homines etiam solemnia eorum* (Imperatorum) *conscientia potius, quam lascivia celebrant* (a). Si autem, *conscentia* solemnia Imperatoris celebrarunt, optimo jure consequitur, fusiori jam tum Christiani orationum apparatu in ipsamet Liturgia pro Imperatore preces egisse in ejus Natalitiis, perinde ac Decennalibus, Vicennalibus, Tricennalibusque festis.

Iisdem prope utitur argumentis Tertullianus eo libro, quem Scapulæ Africæ Præsidi scripsit, quibus illum injuriæ arguit, eo, quod Christianos velut Imperatoris hostes traduceret: *Christianus*, ait, *nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est, ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit cum toto Romano Imperio* (b). Ex quibus patet officium illud, quo

C

(a) *Tertull. ib. cap.* xxxv.
(b) *Libro ad Scapulam cap.* 11. *pag.*69. *edit. Venet.*

quo pro Principibus orandum nobis eſt, ex ipſamet promanare ſumma, quam Deus κμισωκ illis contulit, poteſtate.

Verum Pagani non ſolum Chriſtianos velut Imperatoris hoſtes inſimularunt; ſed eos publico bono inertes habuerunt, quippe qui publicis ſe ſubducerent officiis, atque pro Republica arma ſumere renuerent. Confiсto hoc crimine Chriſtianos adoriri conatus eſt Epicureæ Sectæ philoſophus Celſus, qui nullum non movit lapidem, quo Chriſti Relligionem commacularet inſaniſſimis ejus libris; quos maxima argumentorum dexteritate refellit Alexandrinæ Eccleſiæ, atque percelebris illius Accademiæ Anteceſſor Origenes, tertio ineunte Sæculo. Clariſſimus itaque Origenes, octavo contra Celſum libro, ſic allato reſpondet argumento, quo illorum tueretur Chriſtianorum cauſſam, qui Romanæ militiæ nomen non dederant: *Reſpondemus ferre nos Imperatori auxilia ſuo tempore, ſed Divina, ut ità loquar, armatura fretos, non humana: idque facimus Apoſtoli monitis obedientes: cujus hæc ſunt verba: Obſecro vos* (ſuperius allata Paulli verba profert). *Quo cujuſque inſignior eſt pietas, eo majorem opem Imperatori fert, magis*

gis quam ſtantes in procintu milites, & occidentes quot poſſunt ex hoſtibus .... Ceteris militantibus non contemnenda eſt noſtrorum hominum militia, manus quidem puras ſervantium, decertantium autem fuſis ad Deum precibus pro legitimo Imperatore, & pium, juſtumque bellum gerente milite.... Itaque precibus noſtris profligantes omnes bellorum excitatores, dæmonas, & perturbatores pacis, ac fœderum; plus conferimus Regibus, quam qui arma geſtant pro Republica (*a*). Majoribus igitur noſtris, quibus vis Chriſtianæ orationis perſpecta erat, illius virtuti magis confidebant, quam armis, potentioribusque militum cohortibus. Qua de re ſic argumentum conficit Origenes: *Laboramus pro Imperio Romano, dum juſte viventes vota pro eo facimus*. His ſane rationibus quantam publico Imperii bono domi, militiæque Chriſtiani conferrent operam eorum precibus, oſtendit ille.

Quanto autem ſtudio eo fungerentur munere Chriſtiani, explicat medio fere tertio Sæculo Cyprianus Carthaginienſium E-

C 2 pi-

(*a*) *Origenes Lib.* VIII. *de vera Doctr. contra Celſum tom.* II. *Origenian. ex verſione Latina Daniel. Huetii.*

piſcopus, qui pro Relligione Martyr tandem occubuit. Chriſtianos itaque, ait ille, quavis die ſemel, iterumque ejuſmodi preces Deo fundere, in Myſtica nimirum, quæ mane ſiebat, Liturgia, atque in veſpertinæ Pſalmodiæ illa: *Pro arcendis hoſtibus*, ita loquitur, *& imbribus impetrandis . . . Deum rogamus ſemper, & preces fundimus, & certe pro pace, & ſalute veſtra* (Imperatorem alloquitur) *propitiantes, ac placantes Deum, diebus, ac noctibus jugiter, atque inſtanter oramus* (a). Non enim labiis eas terebant preces majores noſtri, ſed iis *jugiter*, atque *inſtanter* omni ſtudebant mentis conatu.

Hinc publicis hiſce precibus pro Imperatoris, atque Reipublicæ bono in Templis inter Sacra Relligionis Myſteria operam navaſſe Chriſtianos, Arnobius teſtatur, iis libris, quibus Paganorum immane odium in Eccleſiam averruncare conatus eſt, tum, cum maxime efferbuit Diocletiani Imperatoris feritas, qui immanſueto, atrocique concitatus animo, in illos ferro, legi-

(a) *S. Cypr. epiſt. ad Demetri. pag.* 112. *edit. Venet. Pamelii.*

gibusque ſeviit . Arnobius itaque quarto libro conqueſtus edictum, quo Diocletianus, inſtante Galerio, cunctis Provinciarum Magiſtratibus mandaverat (quod teſtantur Euſebius Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Libro VIII. capite I., & Lucius Cælius Libro de Mortibus Perſecutorum cap. VII.) ut ſolo æquarent, quot quot extabant, Chriſtianæ gentis Templa, ita Sacrarum Aedium jacturam dolet: *Cur immaniter cœtus dirui meruerunt* (*cœtus* appellat Templa, in quibus fidelium *cœtus* fiebant), *in quibus Summus oratur Deus, pax cunctis, & venia poſtulatur Magiſtratibus, exercitibus, Regibus, familiaribus, inimicis adhuc vitam degentibus, & reſolutis corporum vinctione*.

Quamobrem Deus, ſapientiſſimo conſilio, quo cuncta moderatur, ipſos Paganorum Principes egregiæ virtutis precum Chriſtianorum teſtes eſſe, ut ut ingratiis, compulit. Cum enim idem ille Maſſimianus Galerius, qui Matris (feminæ, quæ omnes illius ævi inanes idolorum Sacrifocilas, ſuperſtitione facile vincebat) ſuaſu omnes adhibuerat Diocletiano ſtimulos, ut ab eo edictum de Chriſtianorum Templis evertendis præriperet, gravi, moleſtoque morbo corre-

ptus repente fuerit, cui medendo cum nihili profecisse viderentur insigniores medicæ artis magistri, eumque tenacior in dies exederet ægritudo, tandem ad Christianas preces velut ad novissima auxilia descensum est; quare Anno Consulatus sui VIII., atque Maximini in Consolatu Socii II., edita lege Christianorum Templis reædificandis, illos hortatus est, ut preces pro ejus sanitate recuperanda Deo funderent. In hujus autem edicti calce, quod nobis tradidit Lucius Cælius, sive Cæcilius (*a*), ita Galerius loquitur: *unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt* (Christiani) *Deum suum orare pro salute nostra, & Reipublicæ, ac sua; ut undique versus Respublica perstet incolumis, & securi vivere in sedibus suis possint*. Ita Deus Christianæ orationis vim compertam fecit vel iis, qui nihili illam jam pridem habuerant.

Hæc, quæ protulimus, monumenta, Patrum, atque ipsius Ecclesiæ sententiam nobis offerunt, qua hæc, dum Paganorum immani bello divexaretur, publica, atque privata erga Principem officia moderata est. Ex

(*a*) *Lib. de Mortib. Persecut. cap.* XXXIV. *pag.* 1108. *edit. Lipf. Georg. Walchii*.

Ex quibus manifesto patet, majores nostros maxima benevolentia vel ipsos Imperatores Relligionis hostes prosequi non destitisse, ut ut furentibus illis, in maximas rerum omnium difficultates dure admodum conijcerentur. Domi enim si preces Deo funderet, imprimis Imperatorum, Magistratuum, Exercituum meminisse habebant, cum eidem operam conferrent officio inter Liturgiæ tum Mysticæ, tum Psalmodicæ Sacra. Hæc sane Christianis civibus, qui Piissimi Regis Imperio subsunt, quanti erunt momenti nemo non videt; sanctiori enim jure idipsum merito a nobis exposcunt Principes, cujus paremus Imperio, qui cum Christo nomen dederint, maxima nos complexi benevolentia, curam omnem, operamque nostro conferunt bono, quo tranquilla, atque secura fruamur vita, quo legibus sanctissimis, morumque honestati studeamus, quo violentis aliorum manibus nostro non deturbemur jure, quo, inquam, Principis, perinde atque Patris loco nobis, familiæ, privatæ, atque publicæ rei sint.

§. III.

Idem confimant Argumentum Martyrum Acta.

POstquam Majorum nostrorum Apostolis, veluti sanctissimis Relligionis Christianæ fontibus, proximiorum, studia atque benevolentiam, qua erga Principem affecti erant, admirati sumus, accommode ejusdem doctrinæ testes Martyres, adhibeamus, quos si neque mors, neque immaniores deterruere cruciatus, quin Christi Relligionem profiterentur; inanem, ac prorsus vacuum erga Principes non simulasse amorem, nullimode ambigendum erit. Quamobrem optimo jure illorum Acta inter Sanctiora Christianæ veritatis monumenta recensuit Ecclesia. Mihi autem, fatendum est, Martyrum sententias perpendenti, stupet animus, prisca equidem, atque ferventi illa Relligione vacuus: Nequit enim ab homine, in cujus mente Christiana illa vis altas non egerit radices, satis intelligi; qua ratione eo sibi temperarint fortes illi Christi Athletæ, ut Imperatorem, mortem, atque atrociora comminantem supplicia, quin odisse, eximia, atque pene

pene incredibili prosequerentur benevolentia. Tantum Relligio potuit suadere bonorum.

Audiamus itaque clarissimum illum Smyrnæum Episcopum S. Policarpum, cujus gesta descripsere Smyrnæorum illi, data Ecclesiis Ponti Epistola, quam penes Eusebium legimus (a): Sanctus itaque Antistes Statio Quadrato Asiæ Proconsuli delatus, ei sistitur, qui cum Majestatis Reum illum arguere eniteretur, eo omnem operam converterat, ut Christianum hominem infensi animi erga Principem convinceret. At tandem spei irritus, Policarpo jussit *per Cæsaris genium* jurare, ratus de crimine ei constitisse, si ille eo uti jurejurando renuisset. At renuit siquidem Policarpus, & ut Judex verbi potestatem ei fecit, obtendum crimen, explicata Christianæ Relligionis indole, diluit; Judici sane professus est, idololatricum ejusmodi dejurium Relligionem illam abhorrere, qua nihilominus ne consultum dumtaxat, sed præceptum Christianis erat, Principi morem gerere, eumque omni prorsus prosequi

(a) *Hist. Eccl. lib.* IV. *cap.* XV.

qui honore: *Præceptum enim*, verba ſunt Martyris, *nobis eſt*, *ut magiſtratibus* (Cotelerius, qui Polycarpi Acta edidit (*a*), habet *Principibus*) *&* *Poteſtatibus a Deo conſtitutis*, *honorem debitum exhibeamus*. Honos autem ille omnia complectitur officia in Principem, quæ Chriſtus, atque Apoſtoli nos docuere; quorum certe princeps, ſummumque Orationis illud erit, teſte eodem Polycarpo in epiſtola, quam præcedenti capite laudavimus. *Præceptum* autem honos ille appellatur, magni ſane momenti verba pro illius ævi Chriſtiano Epiſcopo, qui nuſquam *præcepti* nomine donaſſet id, quod ſuaderet, haud imperaret Relligio.

Ad exitum fere vertente ſecundo Chriſtianæ Aeræ Sæculo Scyllitani Martyres de pagana triumpharunt Relligione, judice Saturnino Proconſule. Illos itaque, ut in ejus conſpectum venere, de Chriſtianæ Sectæ doctrina Saturninus interrogavit, cui Speratus Martyrum unus ſic reſpondit: *Et nobis Relligioſiſſima eſt*, *&* *ſimplex noſtra* Rel-

(*b*) *Coteler. Patr. Apoſtolicor. t.* II. *num.* 10. *pag.* 197. *edit. Antuerp.*

Relligio , *&* *juramus per Regnum Dominorum Nostrorum Imperatorum*, *&* *pro salute eorum supplicamus* , *quod vos facere debeatis* . Sicco autem pede hæc prætereunda minime erunt, perbrevi siquidem hac sententia nostri prorsus argumenti vis continetur. Itaque *Relligiosissima* dicitur Christiana Relligio , quasi in Principem *observantissima*, atque officiis omnibus erga Imperatorem plena: *simplex* vero, cum candida, prout suapte natura illa est, atque veritatis amica, ingenuam adversus Principem reverentiam adhibeat. Duplici autem argumento hujusmodi esse Christianam Relligionem testatur ille , *jurisjurandi* nimirum, & *precis*; ex animi enim sententia Christiani per Regnum Imperatoris jurabant. Quid enim aliud erat Imperatoris, cui parebant, Regnum, nisi ipsamet potestas, summumque jus, quod Deus ipse Imperatori tradiderat? Hanc itaque Potestatem Divinum quid merito rati , pro ea dejurare haud verebantur Christiani. Verum ne Pagani opinarentur, unum Imperatoris jus eos revereri; & personam quoque illius magni eos facere ostendit, dum preces Deo funderent pro ipsius Imperatoris salute. His de Relligione Christiana ex-

explicatis, verbis tandem Christiano pudore plenis, eorum negligentem atque simulatnm erga Principem redarguit animum.

Quamobrem Acacii cum Proconsulari Marciano disputantis verba demirabitur nemo, si fictis Paganorum assentationibus, Christianorum, quo Imperatorem prosequebantur, amorem paululum conferamus. Recte Martyr itaque Sanctissimus Proconsulari dicebat; *Et cui magis, vel a quo sic diligitur Imperator, quemadmodum ab hominibus Christianis? Assidua enim nobis est pro eo, ac jugis oratio, ut prolixum ævum in hac luce conficiat, ac justa populos potestate moderatus, & pacatum maxime Imperii sui tempus accipiat* (a).

Animadvertas quæso Christianorum vota, quæ pro Imperatoris incolumitate, pro longæva, atque tranquilla ejus vita illos Deo nuncupasse, pagano homini S. Episcopus testatur.

Idipsum loquitur S. Cyprianus, cum Proconsulis Paterni judicium, ejusque subiret interrogata; Christianorum quippe Pro-

(a) *Ap. Ruinart. Acta Mart. Sinc. Acta Disput. S. Achatii pag.* 129. *edit. Veron.*

Proconſuli diſciplinam explicat: illos nimirum Deum Omnipotentem, qui e nihilo quicquid extat forti eduxit manu, adorare, Eique dumtaxat haud prophanis victimis, ſed puriſſimo litare Sacrificio; ac tandem ne Imperii hoſtes Proconſul eos haberet, ait: *Huic Deo nos Chriſtiani deſervimus, hunc deprecamur diebus, ac noctibus pro nobis & pro omnibus hominibus, & pro incolumitate ipſorum Imperatorum* (a).

At inter Relligionis noſtræ inviciſſimos Athletas merito recenſetur fortis ille Alexandrinæ Eccleſiæ Antiſtes Dionyſius. Is itaque medio III. Sæculo Epiſtolam ſcripſit in Epiſcopum quemdam, nomine Germanum, ut convitiis, maledictiſque, quibus ille ſanctum urgebat Epiſcopum, ſe ſe purgaret. In ea autem epiſtola judicii acta enarrat, quod ipſe cum aliis ſubiit Chriſtianis commilitonibus: Pro tribunali ſiquidem erat Præfectus Æmilianus, qui cum Epiſcopo objeciſſet Imperatorum clementiam, qua Chriſtianis integrum erat, ejurata priſtina Relligione, Principis illam, paganam nimirum ample-

(a) *In actis Proconſularib. S. Cypri. ap. Ruin.* p. 288. *ejuſd. Edit.*

plecti; Dionysius ei respondit: *Nos quidem unum Deum omnium rerum opificem, qui Valeriano, & Gallieno* πανθυτοις *Sacratissimis* (ut vertit Valesius) *Augustis Imperium tradidit, colimus, & adoramus. Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile, & inconcussum permaneat.* Augustos Valerianum, & Gallienum πανθυτους appellare S. Antistes veritus non fuit, ea siquidem voce & honorem summum, quo Principes illos prosequebatur, & hujus officii caussam explicavit; quod sane perspicuum erit ex gemina hujus vocis significatione. Quamquam enim Lexicographi πανθυτος latine reddant *Sacratissimus*, quos secutus est Valesius, grandior nihilominus, atque significantior est ea, quæ græcæ huic voci subest, sententia; id profecto suapte natura denotat, quod idcirco magni habetur, quia a Deo promanavit, mortalium bono. Uno id ostendam exemplo, ne longum faciam. Sophocles de Ajace locutus, qui legibus illis, quas, ut dictum est, a Diis Majores suos accepisse Paganis persuasum erat, morem ex animi sententia gerebat, leges illas appellat πανθυτα θεσμια, nimirum *Jura valde-Veneranda*, quippe quæ a Diis ipsis

ipsis lata. Itaque Dionysius Augustos appellat πανθυτους *valde-venerandos* ob ipsamet Imperii jura, quæ Deus illis tradiderat; adijecit enim: *Imperium tradidit*, quasi vim illius vocis πανθυτοις, qua usus erat, explicaturus. Si lectori placet, frustra hujus vocis interpretationi immoratum non est; præterquamquod enim nostro redit argumento, nequeam lexicographorum opinioni accedere, qui πανθυτος *Sacratissimus* reddunt; ea sane significatione, nusquam illam adhibuisset vocem Dionysius, *Sacratissimum* quippe Imperatorem tum habebant Pagani, quibus ille Princeps una, atque Pontifex præerat. Quod si Christiani eodem appellarunt titulo Imperatores Sanctissimæ Relligionis consortes, id illos aliquando fecisse ob unctionem, qua quodammodo consecrati erant, fatendum erit,

Exstremam tandem huic paragrapho manum imponamus testimonio Massiliensium Martyrum Victoris, Alexandri, atque Feliciani, qui, Maximiano Imperatore, Fidei triumphum martyrio egerunt. Hos, inquam, cum Majestatis reos Judex traduceret, ratus Christianos Imperatoris hostes esse, Victor, eos inter Sacerdos

dos, suorum caussam atque defensionem aggressus, quo Judici falsam, qua in eos saeviebat, opinionem demeret, eo utitur argumento: *Quotidie pro salute Caesaris, & totius Imperii studiose Sacrifico, quotidie pro salute Reipublicae coram Deo meo spirituales hostias macto* (*a*). *Quotidie* Victor, Christianae Relligionis Sacerdos, *sacrificabat pro salute Caesaris, & totius Imperii*. Est ne igitur quisquam, cui persuassimum non erit, tribus illis Saeculis Ecclesiam pro Imperatoris, atque Reipublicae salute, incolumitateque nedum vota, sed & ipsum Sacrificium Deo obtulisse? Addit autem ille *studiose* Sacrificasse, ne ingratiis illud egisse Judex arbitraretur. Quam ob caussam sanctissimus ille Dionysius Alexandriae Episcopus immanitatis Imperatoris Galli, qui cum Volusiano Christianos insectabatur, queritur, eumque ait occidisse *Sacerdotes, qui pro ejus salute Deum interpellabant* (*b*). Ne privatis itaque ea aetate Chri-

(*a*) *Acta Marty. Victor. etc. ap. Ruinart. ibid. nu.* VII. *pag.* 257.

(*b*) *Apud Reneaudotium Collect. Liturg. Orient. Vit. Dionys. Patriar. Alex. tom. I. pag.* 316. *Edit. Par.*

Christiani, neque publicis Liturgiæ officiis operam dabant, quin pro Imperatore, pro illius incolumitate, pro diuturnitate, atque tranquillitate Imperii, pro privata etiam illius re, pro communi Reipublicæ, Magistratuumque bono Deum O. M. rogarent; qua sane ratione Christi, Ecclesiæ conditoris, exemplum secuti, quo Pagani inclementius, duriusque eos haberent, eo vel magis omnia illis bona precarentur.

§. IV.

De antiquorum Christianorum Jurejurandis. Quid de Genio veteres Orientales. Quid Græci, atque Romani senserint.

Quo autem dilucidius allata Martyrum testimonia patefiant, gratius lectori erit, nos heic de Christianorum illius ævi jurejurandis edisserere, id quod ad rem nostram aptissime redit. Duo itaque erant vulgi dejuria, quibus tum abstinebant Christiani. Unum illud erat: *Per genium Imperatoris, vel Cæsaris*. Alterum: *Per Imperatoris, sive Cæsaris fortunam*. Utrum-

que enim a Sanctissimæ Relligionis indole prorsus alienum erat, utrumque prophanum. Quamobrem Polycarpus, ut dictum est, eo uti noluit jurejurando εις την Καισαρος τυχην, *per Cæsaris fortunam*; quo illum adigere studebat scelestus Proconsul. Invicta enim mente id genus jurisjuranda execratos usque fuisse antiquos illos Christi commilitones, testes sunt Origenes (*a*), atque Minutius Felix, eloquentissimus Relligionis Patronus in elegantissimo Dialogo, quem exoriente Saeculo tertio scripsit (*b*). Cristiani profecto mortem appetere ultro maluerunt, quin illud adhiberent jusjurandum; Imperator etenim Cajus Caligula, teste Suetonio (*c*), quosdam, certe Christianos, capite damnavit, *quod numquam per genium suum dejerassent*. Libet autem penitiorem expendere rationem, qua propositi hujus adeo tenaciores fuerint Christiani, ut relligionem prorsus polluere arbitrarentur, si eo jurejurando in Paganorum sententiam concederent; quod utiquam

sa-

(*a*) *Lib.*VIII. *contra Celsum*.

(*b*) *In Dial. cui titul. Octavius, & Cacilius pag.*283. *edit. Paris.*

(*c*) *In ejus Vita cap.*XXVII.

ſatis intelligi nequit, niſi quid ſibi velit *Cæſaris genium*, *ejuſque fortuna* exploratum, compertumque nobis ſit.

Aegyptiorum ſane theologiæ vetus erat ſyſtema: *Deos præſtites*, ut ait Macrobius (*a*), *homini naſcenti quatuor adeſſe, nimirum*, δαιμονα, τυχην, ερωτα, αναγκην : *Et duos priores Solem, ac Lunam intelligi volunt, quod Sol auctor ſpiritus, caloris, ac luminis, humanæ vitæ genitor, & cuſtos eſt. Luna* τυχη, *quia corporum præſul eſt, quæ fortuitorum varietate jactantur. Amor, oſculo ſignificatur: Neceſſitas, nodo.* Quatuor hos Deos *Genios* appellarunt Latini, cum hominum geniture præeſſent, quam *geneſim* nuncuparunt olim. Hæc antiquæ Orientalium Antropologiæ nomina erant, quibus illi hominum indolem explicarunt; etenim olim quatuor iis nominibus Deos minime ſignificarunt; ut poſtea, corrupta antiqua Theologia, opinati ſunt Paganorum recentiores, in quorum ſententiam Macrobius concedens δαιμονα, τυχην, ερωτα, & αναγκην quatuor Deos eſſe, dixit. Orientales ſiquidem antiquitus docuerunt, quatuor hiſce hominem conſtare. Δαιμον enim erat ipſa vis naturæ, qua homo efformabatur, quæque ipſimet inhære-

D 2 bat

(*a*) *Saturn. L.* III, *cap.* IX.

bat homini, eo ut animi veluti moderatrix vis illa haberetur, quam *voluntatem* ethici nuncuparunt. Hinc δαιμονα appellarunt *conjunctionem* illam, qua Divinum, atque humanum quid in homine constat εκ τυ θεȣ, κ̀ ανθρωπων φυλια *ex Divinarum, humanarumque rerum amicitia*, ut ait Plato in Timæo apud Suidam. Ipsam vero voluntatem δαιμονα appellasse Græcos, quibus rudera adhuc vetustissimæ Orientalis Philosophiæ nonnulla reliqua erant; testatur Sophocles in Oedipo (*a*), ubi de homine locutus, qui fronte splendidissimus cum videretur, animo tamen, atque voluntate is non erat, ait:

Γενναιος ως ιδοντι πλην τȣ Δαιμονος

„ *Generosus videris, præterquam voluntate*. (II).

Sequitur Τυχη, quam alterum Deum fecere arcanæ Genesiologiæ expertes Pagani. At της τυχης nomine illud venit olim, quod Ro-

(*a*) *Ex antiquis. Codic. edit. a Brussechio Amstelod. pag.* 319.

(II) Notandi heic sunt Oedipi interpretes, qui Suidam secuti, τȣ δαιμονος vertunt, *excepta fortuna tua*: iis enim, qui græcum textum, innumeris quibus scatebat sphalmatibus nuper a Brussechio emaculatum, legerint, exploratum erit, Sophoclem non de hominis invita fortuna, sed de invita illius animi sententia, qui mente parcior, quam fronte erat, loqui.

Romani proprie *ingenium* appellarunt, animi ſcilicet vim his, vel illis proclivem *affectionibus*: hanc profecto fuiſſe nativam græcæ hujus vocis ſententiam, docet Piſides apud Suidam (*a*). Hinc cum eo, quod ſortiti ſumus, ingenio in malum, bonumve feramur, τυχην appellarunt ſtatutum homini fatum: ita idem Sophocles de Ajace, atque Hectore locutus.

Σκεψασθαι προς θεων τυχην δυοιν βροτοιν

„ *Perpendite conſtitutam a Diis fortunam duorum mortalium*.

Ερωτα tertium eſt Numen, quod Amorem appellat Macrobius; At neque Deum habuerunt illum antiqui, qui ſane τυ ερωτος nomine, inditam homini a natura vim ſignificarunt, qua is, qui naturæ ipſius ſenſus complectitur, hominum cæterorum benevolentiam facili comparat negotio. Hinc Aegyptii hanc τυ ερωτος vim *oſculo* ſignificarunt, qua homines ſibi invicem blandiuntur. Illam ſane inditam a Natura humanæ menti vim, veluti omnium hujus vitæ bonorum, quibus homo in ſocietate fruitur, effectricem uſque eo habuerunt Græcorum vetuſtiſſimi, ut in extremis literis, ubi *vale* Latini ſcripſere, ερρωσο ponere

D 3 cu-

(*a*) *In voce* Τυχη.

curarent, quo amicis sociale bonum precabantur.

Tandem illud ανανκην, quod pro quarto fuit geniturae Numine eidem Macrobio, epitetum fuisse triplicis hujus nativae vis, quam homo natura ferebat, exploratum mihi est. Αναγκην enim appellarunt olim Graeci vim illam, cui resisti non potest *ob δυσιχιαν inevitabilem necessitatem*. Eo itaque veluti epitheto, δαιμονος, τυχης, atque ερρωτος vim dixerunt ανανκην, ita nimirum hominibus inditam, ut velint, nolint, eam sequantur, necesse est. Hinc Epicurus, qui necessarium fatum hominibus inditum docuerat, παντα κατα αναγκην γινεσθαι, omnia secundum αναγκην (*necessitatem*) fieri dicebat (*a*).

Ea est antiquae Genesiologiae ratio, atque indoles, quam ignorarunt recentiores Pagani. Privato siquidem consilio Sacrorum ministri olim omnem contulerunt operam primaevis hisce doctrinis obvelandis, eo ut priscae Theologiae veritatem plebi inaccessam, mysteriorum vi, tandem fecerint; quo factum est, ut antiquae scientiae sanctiora nomina, arcanioresque sacrae philosophiae voces, Numina evaserint; quamobrem insana paganorum plebs nedum animantibus, nedum

(*a*) *Apud Diogen. Laert.*

dum lapidibus, ſed vel ipſis vocibus, vetuſtioribusque vocabulis litavit.

Hae itaque voces, quibus priſca Orientalium gens hominis mentem, ingenium, atque fatum complexa eſt, Deorum tandem nomina evaſerunt, qui naſcentibus præerant hominibus, quos *Genios* Romani nuncuparunt. Quinam autem ii eſſent *geniales Dii* tradit Macrobius pro ſui ævi theologia, antiquiori ſane ignarus. Mihi enim perſuaſum eſt, poſtquam antiquæ illius, de qua ediſſeruimus, arcanæ Philoſophiæ ſyſtema obſolevit, unum initio fuiſſe Romanis, atque Græcis, Macrobio antiquioribus, *genialem Deum*, Solem nimirum. Illius ſane erat, ex vetuſtiorum philoſophorum ſententia, ignis particulis homines informare. Lunam enim antiquos neutiquam a Sole disjunctam coluiſſe, docent vetuſtiora mythologiæ monumenta. Hinc Sol *ἀρσενόθηλος*, ideſt, *mas*, & *femina* dicebatur (*a*), eumque portentoſa quadam ſtatua, partim virili, partim feminea, effinxerunt Indorum vetuſtiſſimi, ut teſtatur Porphyrius (*b*). Ipſam præterea Lunam feminam, atque ma-

D 4

(*a*) *Apud Euſeb. Præparat. Evangel. lib.* III.
(*b*) *Lib. de Styg.*

marem docent ejus nomina, cum indiſcriminatim antiquiores Latini *Lunam*, & *Lunum* illam appellarent, quare Lævinus apud Macrobium (*a*) ait: *Venerem adorans ſive femina, ſive Mas eſt, ita ut alma Noctiluca eſt*. Venus ſane eadem ac Luna antiquioribus fuit; adeoque Lunæ, ex Philocoro, in Attide olim ſacrificarunt viri muliebri veſte, mulieres virorum illa indutæ. Innumera veterum monumenta, quæ ad noſtrum redirent argumentum, prætercam, ne nimis longus ea in re videar. Unum itaque olim Genialem Deum, Solem fuiſſe, ex his liquet; qui quidem cum humani corporis partes vi ſua pararet, eaque, inditis *divinis igniculis*, perficeret, ab Orientalibus antiquitus *Men* מן, appellatum fuit a phœnicia voce מנה, quæ *parandi*, *perficiendique vim* denotat; Inde vetuſtiores Græci primum *Genii* nomen mutuati ſunt, eumque Μὴν appellarunt (*a*), quam tandem denominationem uſurparunt & Latini, qui a Μὴν eorum *Manes* fecere; neque heic pigeat animadvertere antiquos Μὴν appellaſſe Solem, perinde atque Lunam, quod fuſio-

(*a*) *Saturnal. lib.* III. *cap.* VII.
(*b*) *V. Clement. Alexandr. Stromat. lib.* I.

fusiori, eruditoque calamo ostendit Cl. Huetius in Origenianis (*a*).

At cum in dies Romanorum theologia Deos dispesceret, quo illorum late pateret numerus; factum est, ut Sol a Luna, velut duo differrent numina, hinc duo Geniales Dii Paganis oborti sunt. Solem δαίμονα, velut potentissimum, Lunam τύχην, velut varietate mutabilem, appellarunt; Primum mentis ipsius genium, alterum corporis esse rati. Vide quæso, qua ratione dum prisca delituit theologia, nova paullatim suborta, politheismi radices jecerit. At neque duobus his constitit genialium Deorum numerus, qui tandem ad quatuor percrebuit, additis *Amoris*, *Necessitatisque Geniis*. Quibus equidem postremis hisce alludere videtur Horatius illis (*b*):

„ Scit Genius natale comes, qui temperat astrum,
„ Naturæ Deus humanæ, mortalis in unum-
„ quodque caput: vultu mutabilis, albus, & ater.

De Sole, vel Luna loqui nequit ille, ut opinatus est Huetius (*c*): qui enim mortales eos in unum-

(*a*) *Pag.* 109., & 110. *Edit. Paris.*
(*b*) *Epistolar. lib.* II. *epist.* II.
(*c*) *Demonstrat. Evangel. to.* I. *Propos.* IV. *c.* VIII.

unumquodque caput dixisset? *De Amoris* itaque, *Necessitatisque* genio locutus est, qua de re *album* & *atrum* illum appellat, hoc est, prosperum, ut *Amoris* ille est, adversum, ut est & *necessitatis* alter.

Dum autem de his fusius edisseruimus, e nostro nimium discessisse proposito, alicui forte videbimur; At libuit hæc dixisse, ut dum quid antiqua, quid recens Paganorum theologia de Geniis docuerit, exploratum habemus, qua de caussa antiqui Christianæ Relligionis Martyres idololatrica illa devitarint jurisjuranda liquido pernoscamus.

Ut itaque eo, unde egressa est, nostra redeat oratio: Christiani quicquid Paganum saperet aversati, optimo Relligionis ipsius jure duobus illis dejuriis: *Per Cæsaris Genium*, vel: *Per Cæsaris Fortunam* uti noluerunt. Utrumque enim Idolorum Theologiæ nitebatur, quicquid Cæsaris *Genium*, ejusque sibi vellet *Fortuna*, ut adhuc ostendimus. Vel enim ea formula Solem, vel Lunam contestabantur; vel *bonum*, *malumve fatum*, Cæsaris nimirum *natale astrum*, ut Horatius loquitur, testem adhibebant, utrumque ipsimet purissimæ Relligionis naturæ omnino adversabatur. At

At quamquam his abſtinerent illi jurisjurandis, nuſquam gravati ſunt per Imperatoris Regnum, per ejus ſalutem jurare. Hinc Scyllitani Martyres Chiſtianos *per Regnum Dominorum Noſtrorum Imperatorum* juraſſe, teſtantur, & appoſite Tertullianus (a): *Juramus*, ait, *ſicut non per genios Cæſarum, ita & per ſalutem eorum.* Salutem quippe Imperatoris, quam ferventi, atque jugi prece illi precabantur, maximi faciebant Chriſtiani; quamobrem ipſe Tertullianus de eodem dejurio locutus: *& pro magno*, ait, *id juramento habemus*: Non enim ficti animi conſilio, Paganorum inſtar, Principi blandiri ſtudebant, ſed *propter conſcientiam* enixis votis ſalutem incolumem, diuturnamque ut illi offerret, Deum rogabant (III).

Non

(a) *Apologet. cap.* XXII.

(III) In ipſis etiam annularium ſigillorum gemmis Chriſtiani votum pro Principis ſalute ſcalpere curarunt. Proſtat ſiquidem apud Cangium in Diſſertatione de Inferioris ævi Numiſmatibus, antiqua Onyx ellypticæ figuræ, Dactyliothecæ Ludovici Chaleau S. Genovephæ, in qua habetur Monogramma Chriſti, atque hinc inde A, & Ω. In orbe vero legitur: SAL. DO. N. ALEX. FIL. LVCE. *Salus Domini Noſtri Alexandri Filii Lucet*. Novi aliquos, illud ALEX. interpretari *Alexii*, rati votum eſſe, pro aliquo Comnenæ familiæ Imperatore nuncupatum. Verum

Non dubitarunt itaque Christiani ejusmodi jurisjurandis uti, alioqui neque militiæ nomen illi dedissent. Is profecto, qui inter milites adlegebatur, militare Sacramentum recitare necesse habebat, eidemque conceptis iis verbis jurandum erat, quoties stipendium accepisset, ut Arianus testatur (*a*), qui paucis illius Sacramenti indolem explicat, dum ait: *At vero illi* (milites) *stipendium capientes, jurant, Cæsaris salutem omnibus rebus anteferre*. Quod sane jusjurandum post Cæsaris cædem a Senatu decretum fuisse, scribit Dio (*b*). Hinc Cajus Caligola, Sororum amore captus, antiquæ dejurii formulæ addidit: *Neque me, liberosque meos cariores habeo, quam Cajum & Sorores ejus* (*c*). Quamob-

rum de Alexandro Severo magis illud *Alex.* legendum esse, persuasum habeo tum ex Monogrammatis ea forma, quæ in onyche habetur: Longe enim distat a recenti monogrammatis forma, quam videre est in Comnenorum numis; tum ex aliis argumentis, quæ singulari Dissertatione: *de gemmis votivis Christianorum*, proferam.

(*a*) *Lib.* I. *cap.*XIV. Αλλ' εκεινοι μεν την μισθοφοριαν λαμβανοντες, ομνυουσι παντων προτιμησειν την τε Καισαρος σωτηριαν.
(*b*) *Histor. lib.* IV.
(*c*) *Apud Sveton. in Caligola cap.*XV.

obrem antiquum illud jusjurandum militibus reliquum fuit, etiam poſtquam Imperatores Chriſto nomen dedere, militaris enim Sacramenti locutus Vegetius, qui Sæculo IV. ſcripſit (*d*), docet milites juraſſe *per Deum*, *&* *per Chriſtum*, *&* *per ſalutem*, *&* *per Maieſtatem Imperatoris*, *quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt*, *&* *colenda*. Ex ipſis itaque Militaribus jurisjurandis benevolentia, atque fervens animi amor patet, quo Imperatorem proſecuti ſunt vetuſtiſſimi illi, atque ſanctiſſimi Chriſtianæ Relligionis Teſtes;

§. V.

In ipſamet Liturgia præcipuæ habentur pro Imperatore preces tribus primis ab Eccleſia condita Sæculis.

Patrum, atque Martyrum ſententias collegimus, qui qua mente, ac quanta animi contentione Majores noſtri Divinum illud Apoſtoli præceptum ſecuti ſint, dilucide oſtendunt. Plurimum enim illis tribuendum

(*a*) *De Re Militari lib.* II. *cap.* V.

dum est, ac magni facienda luculentissima illa testimonia Patronum Christianæ veritatis, atque Martyrum, quibus ne minimi quidem vita fuit, quo veritati litarent.

At nostrum elucescet argumentum, si priscis illis temporibus inter maxima Relligionis Sacra preces publicas fieri pro Principe ostendemus; id quod allata etiam majorum nostrorum verba facili negotio evincunt.

Utinam antiqua illa Sacræ Liturgiæ Monumenta, temporis diuturnitate dilapsa, reliqua nobis fuissent, quanta profecto perfrueremur voluptate, precum formulis legendis, quæ illi tum recitarunt, quibusque relligiosissime erga Imperatorem Apostolico illo munere fungebantur. At norunt eruditi quanta Liturgicorum monumentorum priscæ hujus ætatis inopia laboramus; illius siquidem ævi scripta legenti racemandum quodammodo est, ut dispertita aliqua Liturgica monumenta colligere queat. Hæc nihilominus adeamus, quæ ad rem nostram quam quæ maxime redire, comperiemus.

Antiquius itaque Liturgiæ Monumentum, quod superest, secundo Apostolicarum Constitutionum libro continetur, il-

illudque vulgo Liturgiæ S. Clementis I. Romani Pontificis nomine circumfertur. Hanc porro Liturgiam, quamquam neque Apostolorum, neque S. Clementis opus habeamus, ut eruditissimi quique optimis equidem argumentis perspicue probarunt (a), illam nihilominus antiquiorem esse omnium, quæ restant, nemo inficias ibit. Compertum sane est Liturgiam Apostolorum ætate breviorem, simpliciore mque fuisse, cui sensim novi in dies accessere ritus, atque precum formulæ, ut dixi in opere meo *de Antiqua Ecclesiæ Politia*. Ea fuit hujus Liturgiæ, quam secundo Constitutionum Apostolicarum libro legimus, conditio; hinc etsi, qualis erat Apostolorum ævo, antiqua illa non constitit simplicitate; eas tamen antiquiores neque amisit partes, dum novis ad quartum usque Sæculum aucta est. Quamobrem Liturgiam illam optimo jure, si non Apostolici unius ævi, saltem tum Apostolicorum hominum, tum trium priorum Sæculorum reliquias velut habere licet. Illud sane vicissitudinis fatum, cui ob-

(a) *Vide Cotelerium Patrum Apostol. tom. I., Calvor. de Liturg. Pontif., Bocquillot. Histoire de la Liturgie, Reneaudot. ibid. tom. I. & II.*

obnoxiæ fuere Apoſtolicarum Eccleſiarum ceteræ Liturgiæ, Apoſtolicarum Conſtitutionum illam minime ſubiiſſe patet, cum nullius Eccleſiæ propria illa fuerit, atque prorſus deſueta videatur poſt tertium Sæculum; Hinc quicquid in illa eſt, ea ætate, tertio nimirum Sæculo, recentius dici, vel haberi nequit. Hæc de ejuſmodi Liturgia dixiſſe ſupervacaneum non erit, quo de illius vetuſtate nobis plene conſtet:

In hac itaque Liturgia poſtquam fideles Euchariſtica elementa obtulerant, atque pacis oſcula jungerant, Diaconus, totius Eccleſiæ perſonam referens, precatur *pro Eccleſia cuncta, ceteriſque orbis fidelibus . . . . pro Sacerdotibus, pro principis ordinis Magiſtratibus, pro Antiſtite, pro Rege, atque pro pace omnium* (a). Conceptis formulis ſingulas haſce preces proſequebatur Diaconus, quas inter pro Rege ſic precabatur: *Rogamus itidem te, Domine, pro Rege, & pro iis qui nobis præſunt, & pro*

(a) *Conſtit. Apoſt. ap. Coteler. Patr. Apoſtol. tom.* I. *p.* 265. *edit. Antuerp.* Και μητα τυτο προσευκεσθο ο διακονος, υπυρ της Εκκλυσιας πασης, ϗ παντος τυ κοσμυ ... υπερ των ιερεων, ϗ αρχοντων, υπερ τυ αρχιερεως, ϗ τυ βασιλεως, ϗ της καθολυ ειρηνης.

pro cuncto exercitu (*a*). Hæc autem formula ea erat, qua Diaconus preces populo indicebat; Episcopus enim, Diacono silente, brevi quadam concione Apostoli Paulli argumentis christianam hujus officii legem fidelibus explicans, eos hortabatur, ut ferventiorem adjungerent huic preci animum. Quisque interea pro ingenio bona Principi a Deo precabatur, ac tandem omnes, antiqua illa vocula *Amen*, publicis Ecclesiæ precibus adprecabantur (*b*).

Ipsamet orationis hujus formula maximam sui præsefert vetustatem, simplicissima siquidem est, imo ex ipsa Paulli periocha κατα λεξιν exscripta videtur, quod liquido patet, si allatum Græcum textum cum Paulli illo, superius laudato, conferas. Hanc itaque Liturgicam orationem protypum fuisse omnium Liturgiarum, quibus ad quartum usque Sæculum usa est Orientis Ecclesia, in comperto erit; cujus certe Liturgicæ precis locuti sunt illi Relligionis Patroni, qui diu, noctuque se Deo preces fundere paganis testabantur,

(*a*) *Ibid. Libr.* VIII. *cap.* XII. Ετι παρακαλουμεν σε, κυριε, υπερ του βασιλεως, και των εν υπεροχα, και παντων του στρατοπεδου.

(*b*) *Vide Constit. Apostol. Libr.* VII.

tur, cum publicis id genus precibus tum ore, tum mente quot erant e clero, atque plebe Christiani Cives publicam conferrent operam.

Nulla vero Occidentis Ecclesiæ pœnitissimæ antiquitatis Liturgica restant monumenta ad nostri hujus argumenti fidem. Quamobrem antiquissimum adeamus Africæ Scriptorem Tertullianum, cujus auctoritatem pluris habemus, quam antiquiores, si forte extarent, Liturgicos ordines. Is etenim in elegantissimo Christianæ Relligionis apologemate, postquam eloquentiori stylo insana paganorum mysteria persecutus est, ut omnes eventilaret in Relligionem calumnias, quibus Christianorum conventus lacessebant pagani, ejusmodi *cœtus* disciplinam illis perspectam facit; Quare nil gratius Lectori facere puto, quam Tertulliani verba pressius persequi; *Coimus*, ait ille (*a*), *in cœtum*, & *Congregationem facimus*, *ut ad Deum*, *quasi manu facta*, *precationibus ambiamus*. Heic ille e militari disciplina phrasim desumere maluit, quo dilucidius Paganis testatam faceret vim pre-

(*a*) *Apologet. c.* XXXIX. *p.* 119. *Edit. Ven.*

precum Christianorum, qui collectis veluti manipulatim copiis, *ad Deum*, hoc est, *apud Deum ambiunt*: elegantissima phrasi; particula enim illa *ad*, pro *apud* Latini optimæ notæ Scriptores usi sunt, quos inter Sallustius (*a*), de Rege Marcio, & Metello Cretico locutus, ait: *Ii utrique ad Urbem Imperatores erant*, pro *apud Urbem*. Ne autem pagani vim illam, qua veluti Deum adoriri Christianos dixerat, furore percitam haberent, subdit ille: *Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus; pro ministeriis* (h. e. pro ministris, ut alii codices habent) *eorum, ac potestatibus Sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis.*

Ante omnia expendenda est hujus precis vis, mox enim ostendam inter ipsa Liturgiæ Mistycæ Sacra illam fieri. *Orabant* Christiani pro Imperatoribus, eorumque ministris, quos *Sæculi potestates* appellat, cum civili hi fungerentur potestate in Imperatoris subditos. *Orabant pro rerum quiete*, nimirum pacem, atque tranquillitatem Principi, atque Reipublicæ a Deo precabantur. Vide Orien-

 tis,

(*a*) *In Catil. c.* xxx.

tis, Occidentisque Ecclesias accurate Paulli vestigiis instituisse, ejusque nedum precationis præcepto, sed vel verbis ipsis se exegisse. Verum maximi est momenti postrema illa, qua Liturgica oratio explicit, formula: *Pro mora finis*, eamque neminem adhuc interpretatum esse demiratus sum. Numquid Christiani, Christi præceptum adversati, Regni Dei adventum differri optarint? Numquid mortem eo exhorrebant, ut precibus illam averterent, atque Paulli exemplum sequi renuerent, qui dissolui optabat, ac jungi Christo? Neutrum itaque, dum illi *finis moram* precabantur, Deum rogarunt. Precatio siquidem illa quin Christianorum rem interesset, ipsius Principis, atque magistratuum bona prosequebatur. Cujus enim *finis moram* precabantur, nisi ipsius Imperatoris? longam nimirum a Deo vitam ei optabant, Sanctissimam Christianæ Relligionis indolem secuti, quæ cum imprimis habeat animæ, quam vitæ hujus salus, Christianos edocuit, æternum Imperatori bonum a Deo ante omnia precari. Profecto si diuturnius illi ævum fuisset, integra adhuc spes erat, ut relligioni, Idolis tandem ejuratis, nomen daret,

ret. Obstupescant scilicet Christianam disciplinam, qui Relligionis hujus nomen præseferunt, atque demirentur majores nostros, quibus æternum Imperatoris bonum præ propria erat vita; quo enim ille Christo nomen daret, nihili faciebant immaniores cruciatus, quibus Impeperator ipsos diu persecutus esset, si diu vita functus fuisset.

His explicatis sequitur nunc, ut in ipsamet solemni Liturgia preces illas Christianos fecisse, ostendam; id quod perspicuum plane erit laudatum Apologetici caput legenti, ex quo patet jam tum discrimen aliquod Latinas inter, atque Orientis Ecclesias in re Liturgica fuisse. Hæ sane post *oblationem* pro Imperatore preces Deo fundebant; Illæ autem ipsius Liturgiæ initio. Id enim satis innuit Tertullianus, qui postquam in unum convenisse, ait, Christianos, mox ejusmodi precibus illos vacare, ac tandem Scripturarum lectiones inire scribit: sane de prece illa locutus, subdit: *Cogimur ad Divinarum Literarum commemorationem*, atque singulas deinde recenset Eucharisticæ Liturgiæ partes. Hinc obiter.

ter Binghamus notandus est, qui (a) publicas precationes in Græcorum, perinde ac Latinorum antiquioribus Liturgiis post Episcopi homiliam olim fieri solere arbitratur.

Alterum Liturgicae precis pro Imperatore argumentum idem nobis suppeditat Tertullianus Libro ad Scapulam, qui reverentiam Christianorum erga Principem testatus, ad ipsam tandem devenit Liturgiam, in qua & pro Imperatoris salute illos litare dicit: *Itaque & sacrificamus pro salute Imperatoris, sed Deo nostro, & ipsius; sed quomodo præcepit Deus, pura prece. Non enim eget Deus . . . odoris, aut sanguinis alicujus* (b). Christianos enim infensum in Imperatorem animum fovere putabat Scapula, siquidem pro illius salute Diis Sacrificia offerre detrectarent. Huic argumento respondet Tertullianus, Christianos si neque Idolis pro Imperatore litarent, sacrificasse nihilominus Deo vero Optimo, Maximoque, qui Imperatoris item Deus erat, quem e nihilo pariter eduxerat;

(a) *Origin. Eccl. to.* VI. *Libr.* XVI. *cap.* V. §. I. *pag.* 208. *Edit. Gen.*
(b) *Cap.* II. *edit. Venet. oper. Omn. t.* II. *pag.* 69.

rat; verum Deo sacrificabant illi neque arabis odoramentis, suffitibusque, neque lurido enecatæ victimæ sanguine, sed *pura prece*. *Puram* profecto precem ipsummet incruentum (*quomodo Deus præceperat*) Sacrificium appellasse Tertullianum, nemo, cui veterum Patrum phrasis perspecta est, in dubium verterit. Altissimæ profecto theologiæ locutione usus est Tertullianus, cum novæ Legis Sacrificium *puram precem* appellavit; tota siquidem Sacrificii vis iis continetur Christi verbis, quibus olim se ipsum Patri victimam obtulit, quæ Sacerdos fatus, Christi personam referens, quotidie eamdem incruentam occidit, atque offert victimam; quæ sane verba *ευχην* *precem* nuncupavit Justinus Martyr in laudato Dialogo cum Tryphone.

Profecto phrasim illam suo marte Tertullianum concinnasse, dicendum non erit. Veteres enim Relligionis antecessores mentem ad luculentissimum Malachiæ oraculum habuerunt, in quo dum ille veteris Ecclesiæ casum, atque Novæ opus vaticinatur, Deum inducit loquentem, qui quo cruentas aversatur Judæorum victimas, eo novæ gratulatur Ecclesiæ, in

qua ubique terrarum nomini ejus offerri, ait, *oblationem mundam* (a); in Hebraico textu: ומנחה טהורה, hoc est, *munus purum*. *Pura* igitur dicitur *precatio*, Sacrificium Christianæ Relligionis, cum haud sanguine victimæ, sed incruenta, sanctissimaque Divina perficiatur hostia. Quam ob caussam Eucharisticum Sacrificium Λατρειαν appellavit eloquentissimus Athenagoras in apologemate, quem Commodo Imperatori scripsit, Apostoli verba secutus, qui illud nuncupavit λογικην λατρειαν, hoc est, *rationalem cultum*. Imo penitiorem Apostolus sententiam in illa voce λατρεια complecti videtur; quamquam enim vox illa *cultum* denotet, a το λατρευω *colo*, antiquior vero της λατρειας significatio dilucidius Paulli mentem aperiet. Λατρειαν porro dixerunt Græcorum vetustiores *mercedem*, qua milites, *qui circum latera Regi erant*, conducti militabant. Vide hujus significationis argumenta apud Sextum Pompejum, & apud Hesychium in lexico. Unde olim ipsimet Latini *Latronis* vocem derivarunt, quo equidem nomine appellarunt ejusmodi milites, qui poste-

ro

(a) *Malach. cap.* 1. *v.* 11.

ro tempore *a ſtipatione*, *ſtipatores* nuncupati ſunt, ut teſtis eſt M. Varro libro VII. *de Lingua Latina*.

Itaque mihi videtur Apoſtolus Sacrificium Chriſtianæ Reipublicæ λογικην λατρειαν dixiſſe, quaſi *mercedem rationalem*, qua Chriſtiani homines Deo militant, eique proximiores accedunt. Tanto enim Sacrificio, egregia veluti mercede nos conduxit Deus, qua Divinitati ſuæ, cui mortalium nemo accedere jampridem audebat, finitimos quodammodo nos fecit. Itaque Tertullianus, ut eo jam, unde declinavit, revertatur oratio, incruentum etiam Sacrificium pro ipſomet pagano Principe Chriſtianos Deo tum obtuliſſe teſtatur, ut propitium illum Principi facerent, hujus perinde ac æternæ vitae bona Imperatori, Magiſtratibus, Reipublicæ precati.

Libentius hiſce adtexerem argumentis, ea, quæ nobis ad rem ſuppeditare videntur Liturgia S. Jacobi Apoſtoli, perinde ac illa S. Dionyſii Areopagitæ. Verum neutra illarum ejus eſt antiquitatis, cum eas recentiores Græculi Apoſtolo, Apoſtolicoque viro ſuppoſuerint. Quæ enim S. Jacobi nomine circumfertur, recentioris ævi in-

indolem eruditis equidem viris præsefert. Altera, quæ Dionysio tribuitur, quin prioris Sæculi opus habeatur, ipso etiam v., vel VI. Sæculo recentior videtur. Quamobrem quicquid e re nostra duobus hisce continetur Liturgiis, infra dicam, cum singulari paragrapho cunctas expendendas aggrediar Orientalium Ecclesiarum Liturgias.

§. VI.

A Sæculo IV. Orientis, atque Occidentis Ecclesiæ in solemni Liturgia pro Principe conceptas preces recitarunt. De Diptychis, eorumque usu Græcos inter, atque Latinos.

Hactenus de Ecclesiæ disciplina edisseruimus, quæ præstantioribus officiis ipsos Paganæ Relligionis Principes prosecuta est. Verum etiamsi Orientis pariter, ac Occidentis Ecclesiæ in Psalmodica, atque Eucharistica Liturgia quotidie publicas tum agerent pro Imperatore preces, nominatim neutiquam pro illo precatum est; Idololatra siquidem cum esset ille, nefas erat in Christianorum albo describi, ac nomine inter Sacra nuncupari. Profecto is e-

rat

rat tum Ecclesiarum mos, ut eorum dumtaxat, qui Christianis Sacramentis initiati erant, nomina quibusdam tabellis consignarentur, quæ in Liturgia recitabat Diaconus; quare Imperatoris, qui Christianis mysteriis expers erat, nomen exaratum illis non fuit tabellis, proindeque Christiani ejus abstinuerunt nomine, cum pro illo precarentur.

At tandem Deus Optimus Maximus, Ecclesiam tristissimis vexatam ærumnis commiseratus, Divinam ei opem tulit, Magni Constantini opera, qui inter Imperatores primus, cum Christo nomen dedisset, jura omnia integra, atque solutissima Ecclesiæ fecit. Tum sane Christiani in Imperatorem, qua suprema potestate Dominum, qua Relligione socium, majori longe benevolentia ferri cœperunt, eumque omnibus plane argumentis reveriti sunt. Jam tum itaque cum illius nomen Ecclesiasticis tabellis consignari cœperit, Ecclesia ubique locorum summa animi voluptate Principis nomen Deo obtulit, eique omnia precata est bona, quae Imperatorem intererat, atque Christianum. Hinc cum inter Liturgica officia Diaconus tabellas illas legeret, jam usque a Con-

Constantini ævo nominatim prô Imperatore publicis precibus operam contulit Ecclesia (*a*). Ad rem itaque dicemus heic de ejusmodi tabellarum usu, ut a IV. jam Sæculo pro Principe in Liturgia Eucharistica nominatim precatum fuisse, compertum sit; quod liquido patet, jam tum siquidem in Ecclesiasticis illis tabellis Principis nomen locum obtinuit.

Heic autem fusiori calamo de Ecclesiasticis hisce tabellis edisserere nequeam, operam enim abuterer, postquam scitissime hoc antiquitatis caput illustrarunt Christianus Salighius in Commentariis *de Diptychis veterum tam prophanis, quam Sacris*, Donatus Sebastianus in opere *de Diptychis*, ac Cl. Johannes Baptista Gorius, qui omnia collegit prophanæ, atque Sacræ vetustatis Diptycha. De his itaque ea dumtaxat delibare studeam, quæ nostro lucem affundent argumento, ne cum infra de Diptychis verba faciemus, illorum historia lectorem lateat.

Vetustissimus fuit inter antiquas gentes te-

(*a*) *Vide Schelestratium Dissert. de Conc. Antioch. edit. Paris. pag.* 217., & *Bona Rer. Liturgic. Lib.* 11. *c.* XII. §. 1. *edit. Paris.*

tenuium quarumdam tabellarum usus, in quibus, cera oblinitis, stylo scribere solebant plerumque epistolas, aliquando res memoriæ dignas; quare apud Ciceronem epistolæ appellantur *tabellæ*. Illæ autem ita efformatæ erant, ut duplici constarent ligneo folio, quorum unum altero adhærebat amiculo quodam, quo dum ambæ illæ colligabantur tabellæ, una alteri superinduebatur. Ea fuit veterum epistolarum forma, quæ inter Græcos των διπτυχων, vel διπτυχιων nomen tulere. Hinc sequitur falsos esse Meursium, Catalanium, Bona, aliosque recentiores Scriptores, qui illa a Patribus τα διπτιχια appellata fuisse docuerunt, eo quod duplici tabula constabant, quarum una viventium, altera vita functorum nomina contineret. Altera enim in Ecclesia erant vivorum διπτιχια, altera defunctorum illa, quæ Græci nuncuparunt Νεκρολογια; neque id nominis ob duplicem fidelium conditionem, sed ob duplicem tabellam plicatam tulerunt illæ. Suidas τα διπτιχια describit: δυο περιβολαια εχόντα, h. e., *duo amicula habentia*, ως το μην υπεστρωσθαι, το δε ετερον υποβεβληνσθαι, h. e., *eo ut alterum quidem sit substratum*, *alterum autem superinjectum*, *superadditum*. Vide

duas

duas fuisse tabellas, quarum una alteri superposita erat, cum utraque amiculis colligaretur. Amiculum sane duplex habebant, quo dum simul conjungerentur, conjunctæ circum-ligabantur; περιβολαια enim appellarunt Græci amicula illa, quæ alicui rei circumjecta, rem ipsam tegebant; hinc mulierum calceamenta, quæ olim amiculis, circa pedem injectis, dumtaxat constabant, περιβαλα dixit Theopompus in Sirenibus (*a*). Præter vulgare illud nomen, antiquiori sane denominatione Græci tabellas illas τους δελτους appellarunt. Dixi sane in itala editione hujus Dissertationis, (*b*) *Deltæ* nomen Diptychis hisce fuisse a figuris illis, quibus tabellæ interius depictæ erant, ut continerent nomina, quæ intra figuræ illius ambitum scalpebantur. Figura autem quartæ erat literæ Alphabeti Græcorum, nimirum Δ, quæ Latinis est litera D, Græcis *Delta*. Verosimilior profecto mihi visa tum est etymologia isthæc, cum antiquiora Diptycha hanc passim exhibeant Δ figuram tum apud

(*a*) *Vide ejus fragmenta edita a Johan. Warsonio Amstel. pag.* 111.

(*b*) *Pag.* XXXII. *&* XXXIII. *Nota* III.

apud Salighium, tum apud Gorium, atque Turnebum in suis Adversariis. At altius hujus vocis etymologiam repetendam esse, deinde deprehendi, cum tabellis illis του δελτου nomen haud Græcos, sed antiquiores Orientales fecisse, compertum mihi fuit. Profecto pugillares libros Hebræi *delet* דלת appellarunt, a qua equidem voce, si intermedium *segol* auferatur, commode *delta* legi poterit, quemadmodum Græci pro eorum linguæ genio Orientales voces legerunt. Hujus significationis testis est Hieremias (*a*), qui de ejus vaticiniis a Barucho exceptis, atque volumini consignatis, Regique oblatis locutus, narrat Judi coram Rege *tres pagellas* (verba sunt Hieremiæ laudato capite) *vel quatuor scidisse scalpello scribæ*. In Hebraico textu, quo vulgatus habet tres pagellas, legimus שלש דלתות *Shalash Delatoth tres paginas*, nimirum oblati voluminis. Cum autem Hebræi pagellas sibi invicem superinductas, atque *plicatas* ea denominatione donarint, aperte indicarunt illas amiculo quodam ita conjunctas, atque colligatas fuisse, ut ad januæ bifidæ instar ape-

(*a*) *Capit.* XXXVI., *ver.* XXIII.

aperirentur, cum cardinum loco tabellis essent amicula illa, quibus jungebantur; ipsas enim bifidas Januas, quæ cardinibus eleverarentur, atque hinc inde reserarentur (*duali forma*, ut Rabini ajunt) דלתים *Delathaim* appellarunt (IV). Itaque

(IV) Heic de Orientali voce *Delath* locuti, obiter restituendus videtur textus Capitis tertii Libri Job, qui in Vulgata perperam habetur: Sic legimus Jobi cap. III. versu x. כי לא סגר דלתי בטני ויסתר עמל מעיני Interpretatur vulgatus: *Quia non conclusit ostia ventris, qui portavit me, nec abstulit mala ab oculis meis*, quæ sane versio plane prætervertit Jobi sententiam, eo quod interpres, Septuaginta-viralem versionem secutus, arbitratus est, Jobum loqui *de ventre matris suæ*, hinc addidit; *qui portavit me*, quæ ferme desiderantur in hebraico textu. Tum autem Septuaginta interpretum, tum Vulgati error ex eo manavit, quod putarunt hebraicum *Deleth*, perinde ac Græcum Δελτα significare muliebre pudendum; hinc Jobi verba haud de ostio ventris sui, sed de ostio vulvæ matris ejus interpretati sunt. Fatendum sane Græcos ab Orientalibus usurpasse nomen δελτα, quo muliebre pudendum nuncuparunt, cum esset ipsius vulvæ janua; hinc Aristophanes in Lisistrata de muliebri pudendc locutus, illud appellat δελτα. At Job non materni ventris vulvam, sed proprii ventris umbilicum *Delata* appellavit, eo quod esset velut ventris ostium: queritur enim illuc de eo, qui obduxit de more illius umbilicum, ac si diceret; expetendum ei fuisse, ut, minime clausum fuisset suum ubilicum, quo statim natus, vita caruisset, qua cum potiretur, tot malis objectus erat: Hæc profecto est literalis, ver-

que ipſi Orientales ejuſmodi tabellis uſi ſunt, a quibus tandem illas mutuati ſunt Græci, Orientali etiam uſurpato earum nomine, cum hi a Phœnicio *Delath* eorum *Delta* efformarint, cujuſmodi haſce tabellas antiquitus appellarunt. Neque igitur figuræ ergo ea voce olim τα Διπτυχια donarunt Græci, cum eos inter nomen illud ab Orientalibus promanarit. Id profecto prætereundum minime fuit, cum fugerit tot clariſſimorum virorum ſollertiam.

Eccleſia itaque Chriſtiana a primis uſque Sæculis ejuſmodi duplicibus Tabellis uſa eſt, quibus fidelium nomina conſignabat, ut in Liturgia a Diacono recitata, tum Epiſcopus, qui rem Divinam faciebat, tum, qui aderant e Clero, atque ple-

F be,

verſio, atque ingenua Jobi ſententia: כי *Idcirco* (non *quia*, ut vertit Vulgatus) *non clauſit* (*Dalethai*) *januas* (*Bitheni*) *ventris mei* (*Vajaſther*, *ne* pro *ut*) *ut non avelleret a malis oculos meos*; *Lho* enim rurſus heic ſubintelligitur verbo *Sather*, unde *vajaſter*, quaſi *ve lo jaſter*. Hæc adtexere pro philohebræis libuit, quibus injucundum non erit & unde traduxerit ſuum illud δελτα Ariſtophanes, videre, & rectam *Delath* Jobi ſignificationem enucleatam habere.

be, fideles mutuis precibus ſe ſe juvarent. Id vetuſtiſſimi Patres Tertullianus (*a*), atque Cyprianus teſtantur (*b*). Non unius autem generis erant Diptycha, aliis ſane Epiſcopi, Imperatoris, ac omnium ordine clericorum, atque laicorum nomina inſcalpta erant; aliis Epiſcoporum tum propriæ, tum principum aliarum Eccleſiarum nomina, qui vita defuncti jam erant, tum defunctorum Principum, ac fidelium, qui chriſtianæ communionis jure præditi, e vita diſceſſerant. Hæc porro Νεκρολογια, ut dictum eſt, appellarunt Græci. Hinc ejuſmodi tabellæ maxima diligentia ſervatæ ſunt, præſertim cum publicarum tabularum loco unicuique eſſent Eccleſiæ, quippe quæ Epiſcoporum ſeriem (*c*), Apoſtolorum, ac Patriarcharum nomina (*d*) atque ipſas deinde quatuor œcumenicas Synodos

(*a*) *Tertulli. De Coron. Milit. cap.* III. *Edit. Ven. p.* 102.

(*b*) *Cypri. Epiſt.* LXVI. *ad plebem Furnitan. Edit. Antuerp. p.* 170.

(*c*) *Vide Valeſium in Notis ad Euſebii Cæſar. Hiſt. Eccl. Libr.* V. *c.* XII. *pag.* 85. *Edit. Pariſ. to.* 1.

(*d*) *Ex Cyrillo Hieroſolym. Catech.* V. *p.* 382. *Edit. Pariſ. Patr. Le-Touttée.*

dos complecterentur (a). Quamobrem in ipsomet Diaconico inter sacra Vasa, aliaque Ecclesiæ cimelia asservata fuisse Diptycha, testatur Johannes Mopsuestenæ Ecclesiæ Cimeliarcha in Actis Mopsuesteni Concilii, in quo de Theodoro, defuncto illius Ecclesiæ Antistite, judicatum est. Idcirco uniuscujusque Ecclesiæ Episcopo jus erat Diptycha expendere, ne eorum nomina in illa irrepsissent, qui vel nusquam Christo nomen dederant, vel pœnitentiæ publicæ damnati, Eucharistica communione, atque sanctissimo illo Oblationis jure expertes erant.

Diaconi itaque erat utraque illa tum vivorum, tum defunctorum fidelium Diptycha legere in ipsamet Eucharistica Liturgia tum inter Latinos, tum Græcos inter. Græci autem, cantato Fidei Symbolo, Diptycha legebant, ut testatur Auctor operis *De Ecclesiastica Hierarchia* (b), & Patres Concilii Constantinopolitani II., quod quintum est *Œcumenicum* (c). Vel ipsis etiam Latinis ne

 una

(a) *Vide Collationem* 1 I. *Conc. C Polit. ap. Lab. Concil. to.* IV. *p.* 1774. *Edit. Parif.*

(b) *Cap.* III. *p.* 294. *Edit. Antuerp.*

(c) *Celebrat. Sæc.* VI. *Acti.* V. *Concilior. to.* V. *p.* 185.

una erat in Diptychorum lectione disciplina; Romani siquidem, perinde ac Latinæ Patriarchatus Ecclesiæ, quæ Romana utebantur Liturgia, Diptycha recitarunt sub *Canonis* initium; id enim nos docet Innocentius I. Romanus Pontifex in epistola ad Decentium. In iis vero Ecclesiis, quæ Gallicanam, vel Musarabam profitebantur Liturgiam, Diptycha, post *orationes*, quibus Missa exordiebatur, lecta sunt. Tandem Mediolanensis Ecclesia, cujus erat Ambrosiana Liturgia, legit Diptycha plerumque post Evangelii lectionem, aliquando post ipsam quoque elementorum Consecrationem. Hæc morum differentia, quam triplex illa Liturgia ipsos inter Latinos invexit, dilucidius infra patebit, cum singillatim de hisce Liturgiis edisferemus. Diaconus itaque Diptycha recitaturus prisca ætate vel secus Altare stabat, vel ambonem conscendebat, ut habet Hieronymus (*a*); siquidem ille elata voce descripta Diptychis nomina legebat, ut mutuæ precis studium in fidelium animis excitaret. Verum medio ævo Latinos inter re-

(*a*) *Comment. in c.* XVIII. *Ezechiel.*

remissa voce Diaconus illa legere cœpit; nomina ad aurem fere Episcopi, vel Presbyteri sacrificantis insussurans, vel Diptycha post Altare recitans; quare jam tum exolevit antiquus fidelium mos, qui, ut Diaconus finem fecerat Diptychorum lectioni, respondebant: *Gloria tibi Domine.* Quid novi tandem obtinuerit in ejusmodi Diptychorum lectione media ætate, plene nos docet Fulcuinus (*a*), atque Cl. Hugo Menardus (*b*). At quamquam medio ævo Diptychorum usus aliquas subierit, ut ceteri antiquæ Liturgiæ ritus, vicissitudines, perstitere nihilominus illa, cum in ipsis etiam Missis privatis, sive solitariis (italice. *Messe basse*, *o lette*) Presbyteri per se Diptycha legerint; quod in id genus Missis primo obtinuit: mox enim Presbyteri ne longa nominum recitatione defatigarentur, Diptycha super Altare collocarunt, ac satis habuere pro illis, quorum nomina Diptychis descripta erant, precari. Vide extremi hujus Diptychorum fati argumenta in Pontificali

 ms.

(*a*) *De Gestis Abbatum Laubiensium c.* VII. *Spicilegii Lucæ Dacherii to.* VI.

(*b*) *In Notis Sacramentar. S. Gregor. p.* 264. *Edit. Parisi.*

ms. Ecclesiæ Sarisburiensis apud Edmundum Martene (*a*), aliisque Ritualibus medii ævi libris, quos recensuit Pamelius (*b*). Ea sane ratione paullatim, frigescente fidelium offerentium antiqua Relligione, evanuit & Diptychorum usus.

Postquam itaque circa Sæculum IX. obsoleta, atque antiquata plane fuit Diptychorum lectio, primum in omnibus Latinæ Ecclesiæ Liturgiis obtinuere duo illa *Memento*, viventium unum, alterum fidelium defunctorum, in quibus, ei, qui Sacra faciebat, fas erat pro iis, qui gratiam apud ipsum habebant, precari, ne recitatis quidem eorum nominibus. Hanc sane novam methodum Ecclesia, vetustatis certe amica, haud facili negotio induxisset, nisi plebs ipsa Christianorum, quæ ab antiqua nimium decesserat relligione, novitati occasionem præbuisset. Ad IX. quippe Sæculum usque fideles, qui Sacris aderant, Altari munera offere antiquum eo habebant, ut pœnæ genus eos inter esset, eo privari oblationis jure. Sensim au-

(*a*) *De Anti. Eccles. Discipl. t.* 1. *p.* 401. *Edit. Antuerp.*

(*b*) *Liturg. Latinor. to.* 11. *p.* 180. *Edit. Colon. Allobr.*

autem illud adeo evanuit studium, ut Christianorum cœtus ad eam tandem ætatem ab illo se se subduxerit jure, neque Sacro Altari ulla obtulerit Sacrificii Elementa; quamobrem jam tum neque fidelium nomina Diptychis descripta fuere, cum in illis eorum, qui *offerebant*, nomina exarari solerent. Quæ ergo nomina recitanda a Sacerdote erant? Siquidem eorum, qui Liturgiæ intererant, ne unus quidem munera obtulerat? Hæc profecto Ecclesiam impulit caussa, ut vetustissimum Diptychorum usum in ea mutaret duo *Memento*; haud vero illa, quam insanus quidam etherodoxæ communionis homo prætexuit, qui ut despicatum habeat Ecclesiæ politiam, Sacros ministros, longa Diptychorum lectione perthæsos, novæ disciplinæ auctores habere maluit.

At quamquam Minister Sacra facturus ceterorum deinde reticeret fidelium nomina, potissima tamen perstitit Diptychorum, atque antiquior pars, cujusmodi ea erat, quæ Pontificis, atque Principis nomina complectebatur. Sacerdos etenim ante omnia in eo, quod *vivorum Memento* dicitur, Antistitis, ac Regis nomina singillatim recitavit, id quod in cunctis ferme Litur-

giis factum fuisse, liquido patebit ex iis, quæ mox dicturi sumus.

Qua autem de caussa eadem minime fuerit Necrologiorum, sive *Diptychorum mortuorum* ratio, facile intelligi nequit. In altero sane *Memento*, quod defunctorum est, quodque τῶν νεκρολογίων locum tenuit, neque Pontificis, neque Regis nomina legimus. Inter eas sane, quæ rimatus sum, medii ævi Liturgias, ne una quidem alterutrum habet nomen, cum alterum illud *Memento* generali quadam precatione contineatur. At id mihi videtur ex eo forte factum fuisse, quod eodem prorsus ævo, quo Diptychorum usus obsolevit, privatæ Missæ (*Messa bassa*) (qua sane Liturgia Monachos primum usos esse, arbitratur Cl. Grangolas in notis ad antiqua Sacramentaria) ritus inolevit, perinde ac quotidiana illa defunctorum Liturgia; quare pro illius ævi disciplina cuique Presbyterorum integrum erat quavis die tum *Missam* diei propriam, tum aliam *Defunctorum* facere. Cum itaque quotidie Sacerdotes hisce Defunctorum Missis operam darent, pro Defunctis Antistibus, Regibusque integram illos quotidie prosecutos esse Liturgiam nemo inficias ibit.

Tunc

Tunc profecto, ut medii ævi Historia docemur, ipsimet Antistites, Reges, Optimatesque in dies bona Ecclesiis legarunt, ea lege, ut quotidiana Defunctorum Liturgia singillatim pro eorum anima fieret, qua sua, suorumque majorum *peccata redimerentur*; ea scilicet phrasi, quæ deinde peculiaris legati scribendi ratio evasit, ut testantur illius ævi chartæ, atque innumera id genus monumenta apud Mabillonium, Martene, Muratorium, aliosque; de qua equidem phrasi nonnulla, quæ medii ævi disciplinam patefaciunt, dixi in altero libro *de Christianæ Ecclesiæ primæ mediæ, & novissimæ ætatis politia*. Cum itaque quotidie pro Antiste, pro Rege defuncto Sacrificia fierent, quæ pro medii ævi doctrina peculiari quadam ratione ei, pro cujus anima fiebant, cedere, cuique suasum erat; ea de re, supervacaneum omnino esse putarunt defuncti Antistitis, vel Principis nomina in altero *Memento* recitare, rati satis illis quotidie fieri peculiari illa, atque quotidiana Liturgia. Huic autem conjecturæ, alteram addere non pigeat politicam forte hujus rei rationem, quæ totius ferme Occidentis conditioni, pro ut tum erat, ma-

xime

xime congruit. Ad eam profecto ætatem Occidentale Imperium perpetuis quibusdam vicissitudinibus obnoxium fuisse, historia testatur, quare plerumque nunc uni, nunc altero Ecclesiæ parebant Principi, quorum sæpius hic eum, qui præcesserat, infensi animo persecutus erat: Ea quandoque, quæ Regni clavum tenebat, dynastia antiquiorem, quæ regnaverat, inimicam habuerat; quapropter vel nusquam, vel ægre nimium passus esset præsens, qui tum imperabat, Princeps, ut Ecclesia defunctorum hostium nomina Liturgicis prosequeretur Officiis. Quam forte ob rem Ecclesia ne viventium Principum quandoque offensionem incurreret, defunctorum Regum nominibus recitandis medio abstinuit ævo; quod aliquibus saltem in locis in caussam hujus disciplinæ fuisse, quis quis indolem illius ætatis novit, facile intelliget.

At præter hæc, quæ rimati sumus, novæ hujus disciplinæ argumenta, nonnullibi ipsamet Liturgiæ indoles alterum illud Memento minime tulit. Sic Musaraba, sic Gallicana, sic aliqui Italicarum Ecclesiarum Ordines, quos Mabillonius altero Musæi Italici tomo vulgavit, secundo, defunctorum nimirum, Memen-

to

to suapte natura caruere ; quamobrem, ut diptychorum periit usus, nullus reliquus fuit defunctorum nominibus recitandis locus ; cum olim in aliquibus vetustioribus Liturgiis, quarum nonnullæ restant adhuc, Diaconus utraque illa vivorum, defunctorumque diptycha semel legeret ; quare in iis Ecclesiis, quæ id genus Liturgiis utebantur, mirum nemini erit, unum reliquum fuisse *Memento*, quod erat unius lectionis Diptychorum loco.

Ecclesia autem Romana, cujus Liturgica Officia jure, meritoque inter vetustiora Apostolicæ traditionis monumenta recensenda sunt, cum a primis usque temporibus tum Diptycha, tum Necrologia legeret, nono etiam labente Sæculo primum vivorum, mox defunctorum nomina in Liturgia recitabat : Vulgatus etenim Alcuinus, illius certe ætatis scriptor, de Romana locutus Liturgia, alterum fieri *Memento* testatur, ac singillatim post illa verba *in somno pacis*, quæ adhuc in Canone legimus : *usque hodie*, ait (*a*), *Romana agit Ecclesia, ut statim recitentur ex Diptychis, & tabulis nomina Defun-*

(*a*) *Lib. de Divin. Offic. cap. de celebr. Miss.*

functorum : *atque ita post lectionem nominum subjungerentur verba sequentia* : *Ipsis videlicet*, *quorum nomina memorantur*, *&* *ceteris omnibus*, *&c.* Eadem penes Florum Diaconum habes, qui vulgato Alcuino fere suppar, sua scripsit Romanæ Liturgiæ Commentaria (*a*). Obsoletis itaque Diptychis, illa itidem a Canone ademta sunt verba: *quorum nomina memorantur*, quæ supervacanea plane evaserunt.

Verum diu viguit in Oriente Diptychorum lectio, cum Orientalis Ecclesia, longe aliter atque Latina, antiquos fovere mores in re præsertim liturgica egregie studuerit, quod dilucidius infra patebit. Hinc ad nostram usque ætatem in vetustioribus Græcorum Ecclesiis antiquas Diptychorum, perinde ac Necrologiorum tabellas Sacerdos legit, ut Reneaudotius, Arcudius, aliique, nuperrimæ hujus Liturgiæ apprime gnari, testantur.

His autem brevi Diptychorum historiam persecuti sumus, ut faciliori negotio præsenti sternamus viam argumento, ac eo revertatur, unde nostra egressa est oratio: in illis nimirum Diptychis Principis, qui Im-

(*a*) *Ea vide apud Hittorpium.*

Imperium moderabatur, eorumque, qui obierant, nomina exarata fuisse. Luculentissimum profecto argumentum nobis suppeditat grandis illa columna, quæ secus ambonem stabat in antiqua Ecclesia S. Laurentii Constantinopoli: illa siquidem marmorea erat, tessellato opere affabre elaborata, in singulis autem tesseris eorum, pro quibus orandum in Liturgia, nomina scalpta erant: *ut incipiendo a principio in uno scacco poneretur nomen Imperatoris, & in sequentibus nomen Patriarchæ, qui præsidebat &c.*, ut narrat Auctor *Magni Chronici Belgici* (*a*). Hæc forte columna earum erat, quæ olim ad ambonis gradus apponi solebant, ad paschalem cereum sustentandum, quarum nonnullæ adhuc restant præsertim Romæ in Basilica S. Laurentii in Agro Verano, in illa S. Pancratii; cujusmodi fuerat olim altior illa columna, qua nunc exornatur area Ecclesiæ S. Pauli in via Ostiensi, cujus specimen prostat apud Cl. Ciampinium (*b*). In ea itaque columna apposite illa descri-

pta

(*a*) *Pag.* 379. *edit. col. Allobr.*

(*b*) *Veter. Monum. Musi. tom.* 1. *cap.* 2. *edit. Rom.* 1747. *pag.*47. *tab.*14.

pta erant nomina, ut Diaconus, qui ex ambone Diptycha legebat, illa ante omnia recitaret. Si autem nomina, eo, quo digesta erant, ordine Diaconus recitaret, primo certe Imperatoris nomen, mox Patriarchæ illud in Sacris precibus Diaconum meminisse dicendum erit; quem sane morem quisquis Græcorum Ecclesiastica monumenta novit, minime demirabitur. Ipsæ autem Romanorum Pontificum epistolæ hujus moris, de quo nobis sermo est, innumera suppeditant argumenta; Felix namque III. in Epistola Episcopis Orientalibus data Anno CCCCLXXXIV., Latinas perinde ac Græcas Ecclesias Principis nomen in Diptychis ubique locorum habuisse, testatur (*a*); id quod confirmat Gelasius, non multo post Romanæ Ecclesiæ Pontifex, in epistola ad Dardaniæ Episcopos (*b*). Cum autem minores cujusque Regni Ecclesiæ in Liturgicis officiis a primis, principibusque omnino penderent Ecclesiis, earumque veluti patriis ingrederentur vestigiis, eamdemque ob caussam Diptycha ipsamet Patriarchalis Ecclesiæ in minoribus illis obti-

(*a*) *Ap. Sirmond. in Concilior. Collect. t.* IX. *p.*539.
(*b*) *Concilior. t.* X. *p.*138. *&* 156.

tinerent; hinc tum in majori Ecclesia, tum in minoribus illis nomen Imperatoris Diptychis descriptum fuisse liquido patet: cujus equidem disciplinæ in iis præsertim, quæ è nostro sunt argumento, testis nobis est Dioscorus, Hormisdæ Pontificis Summi legatione functus apud Imperatorem Justinum Seniorem. Is profecto vigesima, quam, dum in Imperatoris aula versaretur, Pontifici dedit, epistola, Patriarchalem Ecclesiam Diptychorum rationem minoribus Ecclesiis eo communicare scribit, ut in earum singulis Principis nomen, quod in primæ Ecclesiæ Diptychis legebatur, pari itidem ratione haberetur, atque recitaretur inter Sacras Liturgiæ preces.

S. Maximus Abbas Chrysopolitanus in publica disputatione, quam Constantinopoli cum Monotheletis habuit medio septimo Sæculo, ipsam nos docet formulam Diptychorum, ait enim: *Inter sacras Oblationes supra Sanctam Mensam post Pontifices, & Sacerdotes, & Diaconos, omnemque Sacratum Ordinem cum laicis Imperatores memorantur, dicente Diacono: Et eorum, qui in fide dormierunt Constantini, Constantis, &c. Sic autem & vivorum* mo-

memoriam facit Imperatorum post Sacratos omnes (*a*). Ex hoc autem testimonio duo sequuntur; primum: Maximi ævo Constantinopoli Imperatorum nomina, defunctorum nimirum, ejusque, qui imperabat, post Episcopi, atque cleri illa ex Diptychis legisse Diaconum. Secundo: Diptychorum lectionem in Græcorum Ecclesiis post *Oblationem*, ante Canonis initium fieri; id enim apprime novisse S. Maximum ambigendum minime erit, siquidem ille diu in Heraclii Imperatoris aula, cui a Secretis fuerat, versatus est. Quæ equidem Constantinopolitanæ, aliarumque Orientis Ecclesiarum illius ævi disciplina cum ipsamet Liturgiæ indole, atque natura maximopere congruebat, cum ipsæ preces oblationes comitarentur: Imperator etenim sua pariter munera Altari offerebat; quamobrem postquam Deo O. M. Imperator, oblatis muneribus, propria studia, atque officia quodammodo detulerat, par erat Episcopum, atque cunctam Ecclesiam Omnipotenti Deo ejus vota offerre, eique cœlestia bona precari. Quemadmodum autem in Orientalium Ecclesiarum Necrologiis om-

(*a*) *Operum S. Max. Abbat. ex Edit. Combefis. Lut. Paris. tom. I. p.* 172.

omnium ferme Defunctorum Principum Nomina exarata erant ; ita pari ratione idipsum factum est in Occidente, ut Dyptica medii ævi testantur ; ac præsertim illa, quæ prostant apud Ludovicum Muratorium (a) ex ms. codice Monasterii S. Iuliæ Brixiæ Sæculi IX., atque X.; in his etenim Dypticis omnium sane Carolovingicæ Dynastiæ Imperatorum nomina habentur.

At quanta ea in re fuerit Orientalium Christianorum relligio, nos docet Dionysius Barsalibius Traciæ Metropolitanus. Is enim in commentariis Liturgicis, quæ scripsit Sæculo XIII., ne dum Dyptica adhuc in Oriente obtinere, sed, quod novum plane in Ecclesiastica re merito videtur, suo ævo in illis Chalcedonum Imperatorum, Turcarum nimirum, nomina descripta esse, testatur. Imo cum Jacobitæ ea e Dypticis expungenda esse nomina arbitrarentur, in eos invehitur Barsalibius, atque Ecclesiæ mentem sequi ratus potissima prodit hujus disciplinæ argumenta, adeoque in rem ma-

G xime

(a) *Antiquit. Med. Aevi tom. V. p. 759.*

xime esse ostendit pro Turcis Imperatoribus precari, ne illi Ecclesiæ pacem turbarent. Qua profecto in re etsi Barsalibius certas prætergredi Ecclesiæ leges quodammodo videatur, ex antiqua nihilominus disciplina suam desumit sententiam, cum, ut fusius ostendimus, antiquiores Ecclesiæ Patres dum pro Paganis precarentur Imperatoribus, paci ipsius Christianæ Reipublicæ quam qui maxime consulere, arbitrati sint.

Verum quicquid sit de Barsalibii sententia, ex iis, quæ protulimus, tum primæ, tum mediæ ætatis monumentis, liquido patet, Ecclesiam ubique gentium Dypticis, quibus in Oriente utitur, in Occidente ad x. usque Sæculum usa est, Imperatorum, Regumque nomina summa religione exarasse, eaque inter Liturgiæ officia legisse, ut Principibus, qui objerant, alterius vitæ pacem, Ei, qui Imperium moderabatur, hujus vitæ, animique bona a Deo precaretur.

Dypticorum itaque usus maximi equidem momenti argumentum nobis suppeditat antiquissimæ, Apostolicæque illius disciplinæ, qua Ecclesia tum in Oriente, tum in Occidente pro Principibus in Liturgia pecu-

peculiari quadam ratione Deum O. M. precata est. Cum porro Dyptica ubique Ecclesiarum Principis, qui imperabat; Necrologia vero eorum, qui in Imperio decesserant, nomina, ut dilucide ostendimus, complecterentur, eaque vel ad Liturgiæ initium, vel post fidelium oblationes, aut consecratis elementis legerentur, nemini dubium erit ubique, atque ab omnibus Ecclesiis a IV. ad X. usque Sæculum inter Latinos nominatim pro Principe precatum esse; id quod etiamnum fit inter Orientales. Id genus profecto argumentum, ex intima petitum Christianæ Reipublicæ politia, optime patefacit Ecclesiæ studium erga Principem, qui quidem cum ejus veluti Pater, atque Patronus sit, optimo inquam jure promeretur in Sacris Mysteriis nominari, ut quisque tum e Clero, tum e Christianorum cœtu præcipuis, eximiisque votis cuncta ei bona a Deo precetur.

§. VII.

Orientalium, Occidentaliumque Ecclesiarum Patres, atque Scriptores pro Principe in Liturgia precari, testantur.

Omnium primum Eusebium Pamphilum Cæsareæ Episcopum, qui Constantini M. gesta descripsit, testem adhibeamus. Is enim fuse describit Templi Hierosolymitani Dedicationem, magnificentissimo apparatu ab ipsomet Constantino factam, postquam ingens illud, atque ornatissimum Templum a fundamentis excitavit. Cum itaque *Martyrium* (quemadmodum Constantinus Hierosolymitanum Templum appellari jussit) dedicaretur, eoque fere omnes Orientalium Ecclesiarum Episcopi, atque Sacerdotes confluissent, ut magnifice, splendideque Dedicationis Solemnia celebrarent, narrat Eusebius: illorum alios maximis laudibus Imperatoris relligionem, atque pietatem prosecutos esse, alios Divinis, sanctissimisque Mysteriis explicandis vacasse, vel Sacris Scripturis interpretandis; cum eorum nemo, qui Sacris pollebat scientiis, concionibus, aut panegiricis operam non navasset. At illos inter, qui in-

ingrata laborabant minerva, ne operam, cui pares non erant, abuti viderentur, Sacris peragendis toti fuerunt, ut ea ratione Deum pro Imperii bono propitiarent, Eumque precibus, qua possent, diligentissimis rogarent, Reipublicæ ut jugem tranquillitatem elargiret, Ecclesiam tueretur: *supplices Deo preces tandem offerentes pro Imperatore tantarum rerum auctore, piissimisque ejus filiis* (a). Ex his autem Eusebii verbis quamquam nonnullis visum sit, originem Missæ votivæ pro Rege deduci posse (quorum sententia nobis minime probatur, ut fuse dicemus de Missis Votivis pro Rege acturi); nihilominus plane sequitur jam tum in Liturgia peculiari quadam formula pro Imperatore, ejusque familia precari; quam sane formulam maxima sedulitate Græca potissimum servavit Ecclesia, cum eodem ferme ordine, ac iisdem prorsus verbis ejusmodi preces

 con-

(a) *Euseb. Pamph. in Vita Constant. L.* IV. *cap.* XLV *tom.* III. *Edit. Amstelod. p.* 435. Οι του θεου λιτουργοι .. οι δε μη δια τουτων χωρειν οιοι τε, θυσιαις αναιμοις, και μυστικαις ιερουργιαις το θειον ιλασκοντο, υπερ της κοινης ειρηνης. υπερ της Εκκλησιας του θεου αυτου. τη βασιλεως υπερ του τοσουτων αιτιου, παιδων αυτου θεοφιλων, ικετηριους ευχας τω θεω προσαναφεροντες.

conceptas legamus in Græcorum, quæ inferius expendemus, Liturgiis, æque ac in allata Eusebii periocha.

Quamquam itaque, ut adhuc diximus, ab Ecclesia condita Christiani publica, atque privata obtulerint Deo vota pro Principis bono; attamen discrimen aliquod intercessit inter preces, quas, cum staret Paganorum Imperium, precabantur, atque illas, quibus usi sunt, postquam Constantinus Christi Relligionem amplexus est. Primo siquidem supplicibus a Deo precibus petebant, Principem ab Idolorum cultu ad veram perduceret Relligionem; mox, ut in eadem Relligione, cui nomen dederat, firmo imprimis animo sibi constaret. Id genus precibus tunc vacasse tum publice, tum privatim Christianos, jam tum eodem Constantino testis erat Cl. Cælius Lactantius in peroratione Orationis ad eumdem Imperatorem, quæ in antiquioribus optimæ notæ Codicibus prostat ad calcem Operis *de Vita Beata*. Sic ille Constantino loquitur (*a*): *Cui* (Deo) *nos quotidianis precibus supplicamus, ut te imprimis, quem rerum custodem voluit esse,* cu-

(*a*) *Lactant. de Vita Beata* L.VII. p.883. *Edit. Walchii Lips.*

custodiat: Deinde inspiret tibi voluntatem, qua semper in amore Divini Nominis perseveres. Quod est omnibus salutare, & tibi ad felicitatem; & ceteris ad quietem.

Ejusmodi precibus maximopere confidit Constantinus, postquam in bello earum vim plane expertus erat; precibus enim, supplicibusque votis Christianæ Reipublicæ se victoriam, Imperiumque debere, passim profitebatur; unde in Oratione, quam Episcopis omnibus Catholicæ Ecclesiæ scripsit, *invictam rem*, ait, *esse justam supplicationem*: ac tandem in peroratione ita Ecclesiæ Patres, ceterosque Christianos alloquitur: *Quicumque ergo pietatem confectantur, gratias omnium Servatori pro nostra, suaque ipsorum salute, & pro Republicæ prospero statu agere debent: sanctisque precibus, & continuis supplicationibus Christum nobis propitium reddere, ut beneficia sua perpetua esse velit* (a). Neque solos ad id adhortatus est Christianos, cum ipsos

 et-

(a) *Orat. ad Sanctor. Cœtum, cap.* XXVI. *in Calc. Lib.* IV. *de Vita Constant. Euseb. Cæsar.* Χρη τους παντας τους την θεοσεβειαν καταδιωκοντας, χαριν ομολογειν τω Σωτηρι των πανθων ενεκεν της ημετερας αυτων σωτηριας, και της των δημοσιων πραγματων ευμοιριας οσιας. τε ευχαις, και λιτανειαις επαλληλοις αξιλεωσθαι τον Χριστον ημιν, οπως τας ενεργεσιας αυτω διαφυλαττοι.

etiam, ut Eusebius Pamphilus scribit (a), milites, *qui divinæ Fidei doctrinam nondum susceperant*, jusserit Dominica die επι καθαρω πεδιω *in campo puro*, quo nimirum (ut scite interpretatur Valesius) neque Aræ, neque Sepulcreta essent, omnes convenire, ut *simul cuncti*, *signo dato*, conceptas quasdam *funderent* preces; quarum formulam heic ex Eusebio excribere non piget: Imperator enim, qui tota mente Divinas meditabatur res, illam maturaverat, militibusque recitandam præscripserat, ne ii, Relligione adhuc ignari, suo marte sacras profanarent preces. Sic itaque se habebat illa: *Te solum Deum agnoscimus: Te Regem profitemur: Te adjutorem invocamus: Tui muneris est, quod victorias retulimus, quod hostes superavimus: Tibi ob præterita jam bona gratias agimus, & futura a te speramus: Tibi omnes sup-*

pli-

(a) *De Vita Const.* L. IV. *cap.* XX. Σε μονον οιδαμεν θεον· σε βασιλεια γνωριζομεν· σε βοηθον ανακαλουμεθα· παρα σε τας νικας ηραμεθα· Δια σε κρειττες των εχθρων κατεστημεν σοι την των υπαρξαντων αγαθων χαριν γνωριζομεν· σε κ των μελλοντων επλιζομεν· σε παντης ικεται γινομεθα· τον ημετερον βασιλεα Κωνσταντινον, παιδας τε αυτε θεοφιλεις, επι μηκιστον ημιν βιε σωον, κ νικητην φυλαττεσθαι ποτνιωμεθα.

plicamus; *atque Imperatorem Constantinum, una cum piissimis ejus liberis incolumem, & victorem diutissime serves, rogamus*. Christiana hæc nitidissima profecto Oratio, quæ suapte natura fuerit Constantini mens, quodque ardens ejus studium in Deum, atque Christum, a quo cuncta promanare bona suasum ei erat, perspicue ostendit; quare neque armis, militibusque magis, quam precibus confidit, quarum vi uti hostem devicerat, Imperiumque potitus erat; sic futura, pacem nimirum, Imperii tranquillitatem, diuturnitatemque se procul dubio adepturum, sperabat. Quamobrem id unum a subditis gentibus exoptabat, idque imprimis habebat, ut pro se supplicia vota Deo offerrent; quod luculentissime testatus est Presbytero cuidam, qui magnificis verbis ejus ad astra ferebat gesta, ac prope Divinum Imperatorem laudabat: Constantinus etenim, blandiri sibi nescius, ut optimo Principi par est, *hujusmodi voces ægre admodum passus*, *hominem* (certe Sacerdotem, ut ex contextu liquet) *admonuit*, *ne his verbis uti præsumeret*; *sed potius supplex Deo vota offerret*, *ut tam in hac*, *quam in futura vita censeri inter famulos Dei mereretur*,

tur, ut narrat Eusebius (*a*). Utinam, qui Regibus ancillantur, quin illorum gratiam blandiusculis iis, adulatoriis scilicet, verbis aucupent, Principi incolumitatem, tranquillitatem, Imperiique diuturnitatem enixis, supplicibusque votis a Deo precari studeant, præclarum istud Constantini monitum secuti.

Ex his itaque, quæ hactenus in medium protulimus, Eusebii testimoniis persuasissimum omnibus erit, jam tum a Constantini Imperio in Mystica Liturgia nominatim pro Principe precari, cum ejus sane nomen omnium primum in Dypticis obtinuerit: cujus rei certiorem nos faciunt præter epistolam Nicolai I. Romani Pontificis, Michaeli Imperatori datam, atque Maximi Collationes; quot quot restant antiquorum Ecclesiæ tum Orientalis, tum Occidentalis Dypticorum monumenta.

Superest modo, quandonam Constantini Magni nomen primum Dypticis scripse-

(*a*) *In Vita Constant. L.* IV. *cap.* XVIII. *tom.* III. *Edit. Vales. pag.* 170. Ο δε απεχθως της φωνης επαχυσας, μη τοιαυτα τολμαν παρηνει φθεγγεσθαι· μαλλον δε δι ευχης αιτεισθαι αυτω, και τω παροντι, και τω μελλοντι της τε θειυ δυλειας αξιον φανηναι.

pserit Ecclesia, investigare, quod quamquam satis aperte Eusebius non indicarit, nullo forte, ut mihi videtur, negotio ex ipsiusmet Eusebii Historia colligemus, factum fuisse statim ac Imperator vita defunctus est, tum cum illius justa honestissimo apparatu prosecuta est Ecclesia. Eusebius quippe quarti, quem de Constantini gestis scripsit, libri capite XL., postquam narrat splendidissimum SS. Apostolorum Templum a Constantino sua impensa conditum fuisse, in quo & proprium extruxit Sepulcrum; tandem qua mente Imperator in ipsamet Apostolorum Aede humari præter illius ævi morem voluerit, sic explicat: *Quippe ipse hunc sibi locum post mortem designaverat, incredibili fidei alacritate prospiciens, ut corpus suum communem cum Apostolis appellationem post obitum sortiretur, quo scilicet precationum, quæ in honorem Apostolorum ibi celebrandæ erant, etiam mortuus particeps fieret*. Qui autem is erat τῶν Ἀποστόλων κοινῶν *Apostolorum socius in precationibus*, nisi cùm Dypticis ejus nomen cum Apostolorum illo in Sacris precibus legeretur? Profecto de Dypticis supra locuti, diximus in illis Apostolorum nomina primo loco exarata esse; cum igi-

gi-

gitur in iisdem & Constantini nomen obtineret, quando Dyptica inter Sacras Liturgiae preces legebantur, una cum Apostolis, Imperatoris nomen veniebat; qua equidem ratione *precationum, quæ in honorem Apostolorum fiebant, particeps & ipse erat*..

Nam præterquamquod Constantini nomen, quippe Imperatoris, principem quemdam locum in Dypticis post Sanctorum illa obtinuisse dicendum erit; alia profecto maximi momenti ratio Apostolorum illis ejus nomen subsequi, certo evincit. Antiquus enim fuit Ecclesiarum mos, ut in Dypticis primo Sanctorum nomina, quorum auspicio Templum dicatum erat, secundo loco Conditoris illud, tandem aliorum, qui Templum aliqua ratione dotaverant, scalperentur. Id nos docet Chrysostomus (*a*), atque primæ, mediæque ætatis, quot quot extant, Necrologia. Cum itaque SS. Apostolorum Templum Constantinus condidisset, hinc fit, ut principem in Dypticis locum Apostolorum nomina tenerent, iisque continuo sequeretur Conditoris, Constantini nimirum illud. Constan-

(*a*) *Homil.* XVIII. *in Acta Apostolor.*

ſtantinus igitur qua Imperator, qua Templi conditor, optimo equidem jure altero in Dypticis poſt Apoſtolos loco venit, eo ut ejus una cum Apoſtolis meminiſſe opus erat, tum cum Liturgia fieret: ea ſane ratione in *precationibus*, quemadmodum Myſtica, Euchariſtica, atque Pſalmodica appellatur Liturgia, Imperator κοινων *ſocius* erat Sanctorum Apoſtolorum, atque *communem* (ut habet latina verſio) cum illis *appellationem ſortiebatur*.

Novi alio pacto hanc Euſebii periocham, quam hactenus expendimus, interpretatum eſſe Valeſium, qui opinatur, Euſebium '*alludere*, ejus ſunt verba, *ad cognomentum illud* Ισαποςολυ, *quo poſt mortem affectus eſt Conſtantinus, ut legitur in Menæis Græcorum* (*a*). Verum ſatis intelligi nequit hujus longe petitæ interpretationis vis; ſiquidem Imperator, ut ait Euſebius, *communem cum Apoſtolis appellationem in orationibus* habere exoptabat, quo ſane carebat munere ea dumtaxat τυ ισαποςολυ denominatione: quamquam enim ισαποςολος *par Apoſtolis* appellaretur, num ne ſequebatur in-

(*a*) *In Not. ad cap.* L. *L.* IV. *Vit. Conſt. Euſ. Cæſar. to.* III. *p.* 199.

inde, *communem illum sortiri cum Apostolis appellationem in Oratione?* Esse Apostolorum socium, ut κατὰ λέξιν Græcus textus legit, in oratione, nimirum in Liturgicis officiis, precibusque? Præterquamquod pone recte Eusebii mentem Valesium assecutum esse, primum omnium probandum illi fuisset, jam tum a IV. Sæculo, quo suam scripsit Historiam Eusebius, Constantinum τὸν Ἰσαπόστολον appellasse Ecclesiam. At altum penes Scriptores septimo, ac forte octavo etiam Sæculo antiquiores de eo nomine silentium: norunt enim eruditi, neque id Valesium, virum in Ecclesiasticis Antiquitatibus præclarissime versatum, fugit, antiquiora hujus nominis monumenta Græcorum Menæa, Typicum S. Sabæ, Synodicum, aliosque medii ævi Orientalis Ecclesiæ Rituales libros nobis primum suppeditare. Ubi itaque Eusebium vaticinatum fuisse velimus, tum certe nos, atque Valesium inter conveniet. Ut igitur illuc, unde paululum divertimus, redeamus, Eusebii allata verba, atque antiqua Ecclesiarum consuetudo certos nos faciunt, Constantinum Imperatorem obtinuisse, ut in Dypticis, statim ac supremam obiit diem, ejus nomen proxime secundum Apo-

sto-

ſtolorum illa deſcriberetur, quo utiquam modo *precum* illarum, quibus Eccleſia Apoſtolos proſequebatur, ſocius, ac particeps erat; quem ſane morem retinuit Eccleſia, a qua dignus habitus eſt tantus Imperator, qui, ut idem ait Euſebius: *Divinis cæremoniis, ac Myſtico Sacrificio, & Sanctarum precum communione potiri mereretur*.

Meritò etenim eximio quodam amore Conſtantini memoriam proſecuta eſt Eccleſia, cum ei tranquillitatem, atque ocium, quo potita erat, acceptum referret. Hinc laudatus Euſebius narrat, quanto animi mœrore Conſtantini mors Chriſtianos affecerit, eo ut poſtquam ejus funus honeſtiſſima pompa ad SS. Apoſtolorum Templum deduxerunt, eoque magnificentiſſime collocarunt: *Innumerabilis* tandem, ſequitur Euſebius, *populus una cum Sacerdotibus Dei, non ſine gemitu, ac lacbrymis pro Imperatoris anima preces offerebant Deo* (a). Hæc profecto ſibi proponant exempla Chriſtiani, eaque diſcant officia, quibus par eſt Principem proſequantur. Si enim Conſtantinus ſuis Eccleſiam, popu-

loſ-

(a) *Ibidem* c. LXXI. to. III. p. 210.

losque cumulavit beneficiis, neque Principum munificentiam nostra desiderat ætas; idque ceteras inter gentes nos profiteri fas est, qui Incliti Regis, Piissimæque Reginæ, qui Constantini Relligionem certe æmulantur, pietatem, comitatemque usque experimur.

Hanc itaque servavit Disciplinam, eaque fovit exinde studia, perinde ac reliquæ Ecclesiæ, Constantinopolis illa: testem enim eodem Sæculo IV. Chrysostomum habemus ejusdem Ecclesiæ Episcopum, cujus sententiam jam supra expendimus, in Commentariis ad textum Epistolæ primæ Paulli Timotheo. Eo nos docet ille, Apostolum locutum esse precis, quæ pro Principe fiunt εν λατρεια τη καθημερινη *in cultu quotidiano*, quemadmodum Sacram appellat Liturgiam, quæ cum bifariam jam tum divideretur, in Mysticam, atque Psalmodicam, quarum illa mane, hæc ad vesperem fiebat; in utraque pro Principe vota obtulisse supplicem Ecclesiam testatur, εν εσπερα, cum Christiani Psalmorum lectioni, hymnis, precibusque operam darent; atque εν πρωΐα, tum nimirum cum incruentum Sacrum fieret. Ex Chrysostomo igitur discimus, semel atque iterum quavis die a pro

pro Principe precatas esse Orientales Ecclesias ; quamobrem in antiquis Psalmodicæ Liturgiæ ritibus adhuc Apostolici hujus moris vestigia restant in Orientalium perinde , atque Occidentalium Ecclesiis. Hæc porro publica erat precatio, cui ea methodo quotidie vacabant Christiani, rati , ut idem auctor est Chrysostomus, se Apostoli eo pacto sequi præcepta . At neque uni publicæ huic preci acquievit flagrantissimum illud Episcoporum erga Principes studium , nisi & privatis etiam precibus Christianos hortarentur ; Hinc laudatus Chrysostomus Antiochenos (*a*), *non solum communes* (cujusmodi Liturgicæ erant), *sed & ἰδίας privatas* (quam sane esse hujus vocabuli vim, vide apud Suidam in voce ἰδίων) *pro suo Principe facere preces*, docebat. Assiduam enim operam id genus precationi , quam Apostolus maximopere Deo acceptam dixerat , Christianos conferre tum palam , tum privatim opus erat .

Eamdem tenuit Disciplinam Hierosoly-

H mi-

(*a*) *Homil.*xx. *ad Pop.Antioch. t.*1. *p.*258. *Edit.Francof.* -- μη μονον κοινας, αλλα ϗ ιδιας υπερ της σης αρχης ποιεισθαι ευχας.

mitana Ecclesia, teste Cyrillo ejus Patriarcha medio IV. Sæculo: In quinta enim concione, qua Catechumenis Sacrorum vim, atque ritum pro illorum captu, explicat, Liturgiam omnem per partes commendans, ut ad Elementorum Consecrationem ventum est, hæc loquitur ille (a): *Deinde vero postquam confectum est illud spiritale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia precamur Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro Mundi tranquillitate, pro Regibus, pro militibus, pro confœderatis* (V). Igitur Hierosolymitana Ecclesia continuo post ipsam *Consecrationem* pro Principe precabatur, atque Dyptica recitabat, ut præcedenti capite diximus. In eo autem ab Latinarum Ecclesiarum disciplina discessit

(a) Catechе. *Mystagog.* v. *n.* VI. *p.* 297. *Edit. Oxon.* ειτα μετα το απαρτισθηναι την πνευματικην θυσιαν, την αναιμακτην λατρειαν, επι της θυσιας εκεινης του ιλασμου, παρακαλουμεν τον Θεον υπερ κοινης των Εκκλησιων ειρηνης, υπερ της του κοσμου ευσταθειας, υπερ Βασιλεων, υπερ στρατιωτων, και συμμαχων, &c.

(V) Sic reddendam opinor græcam vocem συμμαχον, quam alii vel vago nimium vocabulo *socium*, vel minus proprie *commilitonem* dixerunt. Id namque præstat vox illa συμμαχια, quæ suapte natura denotat fœdus illud, quo quis eumdem habet amicum, & inimicum cum socio, ut Suidas in hac voce nos docet.

sceffit illa , siquidem hæ ante incœptum Missæ canonem has plerumque recitabant preces . Verum hujus moris ipsum S. Jacobum Apostolum merito Auctorem habemus , qui cum Hierosolymitanam primus coagmentarit , atque moderatus sit Ecclesiam, tum Liturgiam, tum Sacrorum omnium rationem eidem tradidisse, ambigendum non erit . Neque inconsulto Cyrillus *super ipsa propitiationis hostia* illas fieri preces dixit , vim etenim , quam ex eadem hostia illæ adipiscerentur ostendit : Peracta quippe Consecratione , ipsemet Christus Summus Sacerdos Patri preces cum offerat , nemo non videt quanta, ac quam Divina preces illæ polleant virtute .

Alexandrinæ tandem, aliarumque Ægypti Ecclesiarum parem ceteris ea in re disciplinam testatam faciunt Athanasius, atque totius Ægypti Episcopi. Athanasius uno equidem verbulo nos docet, unam, individuamque rem fuisse precem pro Principe, atque ipsam Liturgiam; insimulatus enim eo quod in Templo non adhuc sacrato Mysticam Liturgiam perfecisset, sic apud Constantium Imperatorem de objecto cri-

mine ſe purgat: *Cum Eccleſiæ paucæ numero eſſent, & anguſtiſſimæ, ingenti edito tumultu, rogabant populi, ut in magna Eccleſia conventus ageretur*, (ita Liturgia pro Græcorum Patrum more appellatur, α το συνελϑειν *conventum facere*, h.e., una convenire Sacro faciendo) *ibique omnes preces funderent pro tua ſalute* (*a*), quod factum eſt, cum populum vi in officio continere, viribus par ille minime foret. Quo itaque Populi ſacer fiebat conventus, eo pro ſalute Principis cuncti ſupplices vota Deo faciebant. Confirmatur hoc idem omnium Ægypti Epiſcoporum luculentiſſimo teſtimonio. Cum enim Sæculo V., Leone Imperatore, Alexandrina plebs iniquo Arrianorum conſilio in Proterium ſanctiſſimum Patrem, atque Urbis illius Archiepiſcopum irruiſſet, eoque interfecto, ad Archiepiſcopalem Cathedram Timotheum quemdam evexiſſet, ſupplicem libellum totius Ægypti Epiſcopi cum Alexandriæ Clero Imperatori dederunt, ut & in reos ani-

(*a*) *Apolog. ad Conſtant. tom.* I. *p.* 303. *Edit. Pariſ.* : Των τοινην εκκλισιων ολιγων, ϗ βραχυτατων ουσων ϑορυβος εν ουκ ολιγας, αξιουντων εν τα μεγαλη Εκκλησια συνελϑειν, κακει παντας ευχϑαι, ϗ υπερ της σωτηριας.

animadverteret , atque, Timotheo ejecto, tranquillitatem illi restitueret Ecclesiæ. Inter eas itaque laudes, quibus interemptum Proterium prosequuntur, quo Imperator sceleris purum, vitæque integrum illum haberet, atque Alexandrinæ plebis immanitatem sentiret, ajunt: ab illa Proterium obtruncatum esse, *qui solemnes conventus celebrabat, & Servatori omnium nostrum Christo preces, ac vota faciebat pro religioso Imperio vestro, & pro Christi-amantissimo Palatio* (a). Hoc igitur studium veluti proprium erat, atque peculiare eorum character, qui Christi, atque Apostolorum vestigiis pressius instabant. Hinc sequitur Alexandrinam Ecclesiam, quæ ex eodem Apostolico fonte propriam hauserat politiam, in Liturgia pro Imperatore primum, mox pro ceteris Aulæ Proceribus sacras preces fudisse; quod profecto usque illam tenuisse institutum, Jacobitarum, atque Coptorum Liturgiæ, quas inferius expendemus, testantur.

 An-

(a) *Libell. Episc. Ægypti ad Leon. Imp. ap. Evagrium Hist. Eccl. L.* II. *c.* VIII. *p.* 221. *Edit. Colon.* Τας τε συνηθεις ταξεις επιτελουντα, καὶ λιτας αναπεμποντα τω παντων ημων Σωτηρι Χριστω υπερ της ευσεβους υμων βασιλειας, καὶ τε φιλοχριστε υμων παλατιω.

Antiochenam Ecclesiam iisdem perinde vacasse precibus in Sacra Liturgia satis abunde docent, quæ jam protulimus, Theophili Antiocheni Episcopi verba altero ad Autolicum libro, atque Gelasii Romani Pontificis Epistola, Dardaniæ Episcopis data Sæculo v. Quamobrem Sæculo IX., id quod etiam tum sarctum tectum morem hunc fuisse ostendit, ita Basilius Græcorum Imperator Ludovico III. Galliarum Regi scripsit: *Quatuor Patriarchales Sedes, unum Imperium inter Sacra Mysteria memorari, a Deiferis Apostolis usque nunc traditum habent* (a).

Quis quis autem vel a limine Ecclesiasticam Historiam salutavit, procul dubio novit, eam fuisse Ecclesiarum conditionem, ut quemadmodum in Imperii illa, ita & in Ecclesiæ Politia a principibus minores plane penderent Urbes, eo ut his illæ velut magistræ, atque dominæ morum, sacrorumque leges ferrent. Hinc neminem fugit, Patriarchalem Liturgicas leges tulisse, eisque paruisse minores Ecclesias; quod præ ceteris scite ostendunt Bin-

(a) *Ap. Chesnium Histor. Francor. An.* DCCCLXXIX. *to.* III. *p.* 79. *Edit. Paris.*

Binghamus (*a*) , atque Humphredus Prideus (*b*) . Inde invictum e re nostra suboritur argumentum : si enim quatuor illæ Orientis Patriarchales Ecclesiæ in Sacra tum Mystica , tum Psalmodica Liturgia pro Principe precatæ sunt, ejusque Nomen a Dypticis recitarunt, consequens est ceteras, quot quot fuere, Orientis Ecclesias idipsum perfecisse in Sacris Mysteriis, quo unaquæque illarum Principi Ecclesiæ morem gereret , ejusque obsequeretur Liturgicis legibus .

At præter laudata, eaque eximia, hujus disciplinæ monumenta, e re maxime nostra erit, idipsum confirmare aliis sane luculentissimis Orientalium Ecclesiarum memoriis , quas inter principem facile locum tenet Persarum Ecclesiæ decretum . Postquam enim Imperator Theodosius Junior Isdigerdi, sive Isdegerdi Saporis filio, Persarum Regi , quem testamento Arcadius ejus tutorem instituerat, misit S.Marutam, ut Persas Christianam doceret Relligionem, Maruta Isdigerdis permissu plu-

 res

(*a*) *Origin. Ecclesiast. L.* x. *c.* v. §. 11. *p.* 113. *Edit. Halæ*.

(*b*) *The Connexion Scripture, and History Book* x. *p.* 551. *Edit. Dresd.*

res condidit Episcopatus in Persarum ditione, Episcoposque creavit, quos inter Metropolitica jura penes ipsum stetere; ac tandem quò tenella adhuc Relligio firmas egeret illuc radices, Anno CCCCXII. Episcopos omnes una convocavit, atque Concilia indixit tum Antiochiæ Margianæ, tum in aliis Persicis Ecclesiis, ut Ecclesiasticæ disciplinæ firmas conderet leges. In his autem Conciliis, quæ in Syriaca Canonum collectione habentur, hunc legimus primo loco canonem (*a*): *Oratio, Deprecatio, & Supplicatio offeratur coram Deo vivo, & sancto pro Regibus, & Principibus, ut tranquillam, & pacificam vitam degamus in omni sanctitate; ipsique cogitationes superbas, & duras non foveant contra Populum Dei*. Hanc sane precationem ex Paulli verbis, atque præceptis Marutam derivasse, nemo non videt. Precationis autem ipsamet verba efficientem sui rationem denotant, siquidem Isdegerdes etsi Christianam Relligionem subditas gentes edocere, Marutam, sineret, in antiqua tamen majorum suorum

(*a*) *Apud Reneaudotium in Histor. Alex. ex vita Kajumæ, Anno Isdegerd. II. Can.* 1.

rum Relligione firmus ſteterat; quamobrem optimo jure precandum erat ne dum *pro Regibus*, pro eorum nimirum bono; ſed & *ne ipſi cogitationes ſuperbas, & duras contra Populum Dei foverent*. Nemini itaque dubium erit, Chriſtianos, ubicumque gentium verſati ſint, in ipſamet Liturgia, ſupplices preces Deo obtuliſſe pro Principis, cui parebant, bono, quælibet illius foret Relligio. Perſicum enim laudatum canonem, de publica prece, quæ in Liturgia Sacrificii fit, loqui, aperte oſtendunt illa: *offeratur coram Deo vivo*; quibus ſatis apte indigitatur Liturgicæ precationis indoles. Hinc poſtquam idem Isdegerdes Anno Imperii ſui XIV., occaſione incenſi ab Abdia Regiæ Urbis Epiſcopo *Ignis* Templi, Chriſtianos perſecutus eſt, cujus deinde preſſit veſtigia Vararanes ejus filius, iisdem attamen precibus (*a*), iisdemque ſanctiſſimis legibus obtemperarunt illi, donec Perſarum Imperio potiti ſunt Muhamedanæ ſectæ Principes, teſtibus Mari, & Amri Neſtorianis in Kajumæ Vita.

An-

(*a*) *V. Socrat. Hiſt. Eccl. l.* VII. *c.* XVIII.

Antiquam, atque Apostolicam hanc disciplinam Ægypti Ecclesias tenuisse, etiam postquam Jacobitæ Alexandrinam sedem invaserunt, testis est Johannes (forte IV. ex Catalogo Patriarcharum Jacobitarum a Bollandistis post Reneaudotium edito) illius Ecclesiæ Patriarcha in epistola Anastasio Imperatori, hujus nominis II. data, quam legimus in vita Zachariæ LXIV. Patriarchæ Jacobitarum apud Reneaudotium (a). Sic enim ille Anastasium alloquitur: *Domine Imperator Deus Imperium tuum, & Majestatem tuam conservet: Novit autem Ille, me indesinenter orationes, precesque facere pro Imperio tuo potenti, sicuti nobis Scripturæ Sanctæ præcipiunt*. Quam equidem Liturgicam precem in aliis obtinuisse Ægypti Ecclesiis, quas Jacobitarum Episcopi moderati sunt, atque etiamnum moderantur, nemo dubitat, cui principem Ecclesiam ceteris de Liturgica re, ut supra dixi, præivisse suasum erit.

Pari etiam ratione Hierosolymitana Ecclesia pro Principe in Liturgia precata est post VII. Sæculum, in quo, capta

(a) *Collect. Liturg. Orient. to. 1. p. 216. Edit. Paris.*

pta a Saracenis Hierosolyma, Nestorianis plerumque Patriarchatus obtigit (a); Formula enim Liturgicæ hujus precis prostat in quarta Homilia Eliæ Nestoriani Hierosolymæ Patriarchæ, qui deinde Nisibis Patriarchatum in Mesopotamia occupavit. Sic ille in laudata Homilia, quam festo Nativitatis Domini recitavit: *Regem, & Principem Nostrum Deus in septis aditi muniti collocet*. Heic autem quæret fortasse quis de *Rege*, atque *Principe*, pro quo isthæc tunc fiebat precatio, foret ne Græcus Imperator, an Saracenorum Princeps: Hanc sane quæstionem inferius, Nestorianorum Liturgias commentaturi, expendemus.

In antiqua itaque disciplina ceteræ pariter Orientis Ecclesiæ permanserunt tum stante, tum occidente Græcorum Imperio. Œcumenius sane, qui inter Græcæ Ecclesiæ Sæculi VIII. vel forte IX. Scriptores recensetur, in commentariis, quæ supra laudavimus, ad Epistolam Paulli Timotheo, satis aperte testatur, suo ævo in ipsis Sacris Mysteriis Ecclesiam publicas

pro

(a) *V. Michael. Le-Quien in Oriente Christia. t.* 2. *l.* 3.

pro Principe egisse preces; quam equidem disciplinam postquam ex Apostolico præcepto promanasse, eamque summa constantia Ecclesiam servasse, ostenderat ille, tandem ait: *Ne perterreatur Christianus, quamobrem in tempore Mysteriorum memoria fiat Regis* (*a*). Neque a reliquis Orientalibus Ecclesiis Bulgarorum illas ea in re discessisse, nos docuit Sæculo XI. Theophilactus Bulgariæ Metropolitanus, Acridæ Archiepiscopus, qui eamdem Paulli epistolam commendans, ubique Ecclesiarum Bulgaros inter tunc pro Principe in Sacra, atque Mystica Liturgia quotidie preces fieri consuevisse, testatur (*b*). Novissimum denique monumentum legimus apud Gregorium Phranza, qui de Michaëlis Paleologi, Sæculo XIII. Constantinopolis Imperatoris gestis locutus, Historiæ libro I. ait: *In Divinis præterea, ac Sacris Liturgiis, in omnibus iterum ritibus, & officio Sacrarum Ecclesiarum clara voce ejus fiebat mentio* (*c*). Ex quibus profecto verbis satis abunde intelligimus

(*a*) *Oecum. Comm. in Epist.* I. *ad Tim. to.* I. *cap.* II. *Edit. Paris.*

(*b*) *Comm. in Epist.* I. *ad Timot. in Catena Græca p.* 117. *Edit. Colon.*

(*c*) *Hist. l.* I. *c.* I. *p.* 54. *Edit. Ingolstad.*

gimus de Imperatoris nomine nedum inter Mysticæ Liturgiæ preces, sed & in Psalmodia, aliisque ritibus Græcos tunc meminisse. *Rituum* sane nomine heic veniunt, quot quot sunt diversæ Liturgiæ partes, quibus in festis etiam diebus utitur Ecclesia; quare ex his conjicere licet, etiam Orientales nominatim precatos pro Imperatore in Litaniis, atque Ritibus Hebdomadæ Magnæ; quem sane morem uni Latinæ Ecclesiæ peculiarem fuisse, nonnulli opinati sunt. Nostrum itaque optimo equidem jure conficere licet argumentum, inter Orientales ab Ecclesia condita donec Græcum stetit Imperium in Sacris tum Mysticæ, tum Psalmodicæ, tum Eucharisticæ Liturgiæ precibus principem facile locum illam obtinuisse, qua Principi tum cœlestia, tum vitæ, atque pacis bona a Deo O. M. dudum precabatur Ecclesia.

Hactenus Orientalium Ecclesiarum Liturgicam hujus precis, de qua edisserimus, disciplinam perlustravimus; quare, ut nostra persequamur instituta, ad Latinas Ecclesias gradum nunc facimus, cujus disciplinæ quamquam testes sint ipsæmet Latinorum, quæ singulari capite ad

tru-

trutinam revocabimus, Liturgiæ; operæ pretium nihilominus erit, Occidentalium Scriptorum ſententias, quæ e re noſtra ſunt, de more expendere, atque commendare.

Omnium primam teſtem merito adhibeamus Romanam Eccleſiam, quæ cum Apoſtolicæ diſciplinæ in Liturgica re tenax uſque fuerit, Paulli præcepta ſecuta, pro Regibus, atque Principibus inter Sacra Myſteria precari nuſquam deſtitit. Profecto Bonifacius hujus nominis I. Sæculo v. in epiſtola ad Honorium Imperatorem Romanæ perinde ac ceterarum Eccleſiarum diſciplinam explicans, ſic loquitur (*a*): *Ecce enim inter ipſa Myſteria preces ſuas, quas pro veſtri felicitate dependit Imperii*. Vide traditione quadam Chriſtianis perſuaſum fuiſſe a prima ad mediam uſque Eccleſiæ ætatem, *Imperii felicitatem* a Liturgicis precibus imprimis pendere. Ad eamdem pene ætatem Theodoſio Juniori ſcripſit Leo I. Romanus Pontifex; in ea autem epiſtola, quam Imperatori dedit, inter argumenta, quibus Divi-

(*a*) *Epiſt. ad Honor. Imper. apud Durant. de Antiq. Eccl. Ritib. l.* II. *c.* XXIII. *Edit. Rom.*

Divinæ Legis instituta se enixe secutum esse probat, precis hujus illud recenset: *Cupiensque*, Leonis verba sunt, *per omnia placere Deo, cui pro vobis ab Ecclesia supplicatur* (*a*). Nequit sane *Deo placere* is, qui vel negligit, vel levi nimium animo eam prosequitur precem, quam pro Principe cuique Christianorum faciendam esse, lege quadam Apostoli post Christum sanxere. Tandem Sæculo IX. absolutissimum Romanæ Disciplinæ monumentum legimus in epistola a Nicolao I. Romano Pontifice Imperatori Michaëli III. Theophili filio data: Summus siquidem Antistes Romanæ Ecclesiæ Liturgicam hanc precem explicans, unà antiquam, æque ac continentem hanc disciplinam luculentissimis verbis testatur; ait enim (*b*): *Romæ Constantini*, *Constantis*, *Theodosii Majoris*, *Valentiniani*, *& ceterorum Imperatorum nomen inter Sacra Mysteria impratermisse memoramus*. Romana itaque dyptica omnium complectebantur Imperatorum nomina, quæ Sacerdos *inter Sacra Mysteria impratermisse* recitabat, cum manca cer-

(*a*) *Epist.* XXV. *ad Theodos. Imp. t.* II. *Edit. Paris.*
(*b*) *Epist.* VIII. *ad Mich. Imper.*

certe foret Liturgia, in qua Apoſtolica iſthæc deſideraretur precatio. Quod ſi Romanæ Eccleſiæ ea tum erant inſtituta, eamdem inter reliquas omnes Occidentis Eccleſias Sæculo IX. viguiſſe diſciplinam, procul dubio erit; ſiquidem jam tum Latinæ omnes Eccleſiæ Romanam Liturgiam veſtigiis proſecutæ erant.

Poſt Romanam Mediolanenſis Eccleſiæ diſciplina ſe ſe offert, quippe quæ præ ceteris Latinis Eccleſiis ſolertiſſima merito habetur Sacrarum antiquitatum in re præſertim Liturgica cuſtos. Hujus autem diſciplinæ certiores nos facit Ambroſiana Liturgia, de qua ediſſerendum nobis erit: Ambroſius etenim hujus Liturgiæ Auctor, vel certe inſtaurator hæc loquitur in Relatione contra Simmacum, qui conſulari, qua pollebat, auctoritate, idololatra cum eſſet, nullum non movit lapidem, quo Chriſtianorum mores carperet: *Nos*, ait Ambroſius, *ipſis Imperatoribus pacem a Chriſto rogamus*. De illa utiquam loquitur pace, quam a Deo Imperatori precabantur ex Apoſtolico præcepto in Myſtica Liturgia. Hujus ſane precis nil deſcriptius, quam quod explicat Auctor librorum *de Sacramentis*, ſive is Ambroſius, ſive alter Ambroſio

brosio ferme suppar fuerit: *Consecratio igitur*, ait ille, *quibus verbis est*, & *cujus sermonibus? Domini Jesu: Nam reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratio præmittitur pro Populo, pro Regibus, pro ceteris* (a): quæ profecto sententia pro luculentissimo nobis est totius Latinæ Ecclesiæ monumento, cum idem Auctor primo libri tertii capite apertissimis verbis testetur, se eam rituum disciplinam explicare, quæ in Latinis, atque potissimum Romana vigebat Ecclesiis: In iis autem ante Elementorum Consecrationem Christianos publicas preces pro Regibus egisse vel ex iisdem verbis liquido patet, cum *orationem pro Regibus*, aliisque *præmitti* consuevisse, dicat ille. Heic autem animadvertendum erit in Latinis Ecclesiis duplicem quodammodo fuisse precem pro Principe in sacra Liturgia, genericam unam, peculiarem alteram: generica sane ea erat, de qua heic laudatus Auctor loquitur, quæ vota Christianæ Reipublicæ pro Regum bono complectebatur; peculiaris præterea ea erat precatio, quæ pro Principe nominatim fiebat,

I cum

(a) *L.v.c.IV.p.121. Edit. Basil.*

cùm e ſacris Dypticis ejus nomen recitabatur.

Pari itidem ratione de univerſæ Latinæ Eccleſiæ diſciplina loquitur Hilarius Sæculo IV. Romanæ Eccleſiæ Diaconus in Commentariis (quæ olim Ambroſii nomen uſurparunt) ad Epiſtolas Paulli. Quamquam enim Hilarius Luciferianorum Sectæ adhæſerit, adeoque Pelagianorum ſententiis plerumque ſcateat, ut obſervat Poſſevinus in ſuo *Apparatu*; accurate tamen Latinorum Liturgica ſui ævi monumenta poſteris prodiit. Is itaque ſic precem hanc, de qua nobis ſermo eſt, ex ordine narrat (*a*): *Hæc regula Eccleſiæ eſt tradita a Magiſtro gentium, qua utuntur Sacerdotes noſtri, ut pro omnibus ſupplicent: deprecantes pro Regibus hujus Sæculi, ut ſubjectas habeant gentes, ut in pace poſiti, in tranquillitate mentis, & quiete Deo noſtro ſervire poſſimus. Orantes etiam pro iis, quibus ſublimis poteſtas eſt credita, ut in juſtitia, & veritate gubernent Rempublicam, ſuppeditante rerum abundantia, ut amota perturbatione, ſuccedat lætitia*. Ea itaque erat IV. Sæculo Pa-

(*a*) *Ambroſiaſter Comm. in cap.* II. *Epiſt.I. ad Timoth.*

Patrum Latinorum mens, ut precem pro Principe inter ritus minime recenserent, sed illam tamquam legem ab Apostolo Paullo *Magistro gentium* traditam haberent, quam iccirco nemo Sacerdotum impune violare ausus esset. Pacem autem, quam Regibus a Deo precabantur, tum privatam, tum publicam rem intererat; eo siquidem illorum vota vertebantur, ut & *subjectas illi haberent gentes*, ejus nimirum populi obsequerentur voluntati, atque vererentur imperia; & *in pace positi* essent, externis nimirum prohiberentur bellis; utrumque enim Christianam Relligionem maximopere interest, ut fideles ea fruantur tranquillitate, qua si careant, nequeunt in Deum, qua par est, animi contentione ferri. Cum autem Reges *sublimis potestatis* jura aliquibus *credant*, quibus jus dicere in Republica est, merito & pro illis singillatim precabatur Ecclesia, quo recte credito functi munere, Christianæ Reipublicæ pax, atque tranquillitas undequaque imperturbata maneret; hinc quanti sit hujus precis indoles nemo non videt. Lege Ambrosii sententiam prorsus simillimam in epistola Theodosio Impera-

tori data. Recte itaque allatam hanc Hilarii Diaconi periocham inter hujus precis Italicarum Ecclesiarum monumenta Sæculi IV. imprimis habemus.

Sarcta tecta æque erat Apostolica isthæc lex in Africanis Ecclesiis Sæculo IV., eo ut inter immania, quæ Optatus Milevitanæ Ecclesiæ medio IV. Sæculo Episcopus, Donato objecit crimina, vel illud præ ceteris execratur: cum *jam tunc*, ut ipse ait, Donatus *meditaretur contra præcepta Apostoli Pauli, Potestatibus, & Regibus injuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare debuerat* (a). Maximo igitur crimini Donato vertitur, pro Regibus minime precatum esse, cum inter Apostoli Paulli haud consilia, sed præcepta merito recenseret Ecclesia Principis obsequium, quod certe detrectat quis quis quotidianas Deo preces pro illius bono offerre vel negligit, vel forte recusat. Non multo post Optatum eamdem fusiori calamo explicasse sententiam Augustinum Africanum pariter Episcopum in epistola Paulino scripta, jam supra vidimus. Is enim nedum Afri-

(a) *Lib.* III. *contra Donatist. p.* 66. *Edit. Paris.*

Africanæ, sed omnium Ecclesiarum disciplinæ testis est, cum de ejusmodi Liturgica prece locutus: illam, ait, *omnis*, vel *pene omnis frequentat Ecclesia*.

Eadem prorsus fuit Hispanæ Ecclesiæ ratio, cum Musaraba Liturgia illuc ab Oriente illata fuerit, sicuti infra ostendemus. Satis interea habemus Concilii Toletani VI. canonem XI. in medium afferre, quo jubetur: *ut Sacrificiorum libamina quotidie pro Rege, & Regia stirpe celebrentur* (a). A septimo itaque Sæculo, quanta fuerit Hispanæ gentis erga Principes Relligio, testatum faciunt Toletani Patres, qui præter publicas preces, quæ in Re Sacra fiebant, quotidianam, votivam nimirum, Liturgiam pro Rege, ejusque stirpe celabrandam esse decreverunt. Hinc forte aliquibus Historiæ consentaneum visum est, Hispanos ceteris Latinis Ecclesiis auctores fuisse Missæ votivæ pro Rege. Vide, quæ ultimo hujus Dissertationis paragrapho de id genus Missis dicemus.

Caroli Magni Capitularia in Ecclesiis totius Occidentalis Imperii eamdem pla-

 ne

(a) *Concil. Anno* DCLXVIII. *habitum ap. Cabassut.*

ne obtinuisse Liturgicam precem testantur. Imperator enim in prima Capitularium Lege jubet: *Ut cuncti Sacerdotes precibus assiduis pro vita, & Imperio Domini Imperatoris, & filiorum, ac filiarum salute orent* (a). Sibi etenim satis non habebat Magnus ille Imperator, Liturgicas fieri preces, sed *assidue* Sacerdotes pro ejus, familiæque bono Deum precari optabat, eo ut Apostolico præcepto legis Imperialis vim addiderit. Quamobrem Haymo, Alberstadiensis Episcopus Sæculo IX., Paulli Epistolam ad Timotheum commendans, aperte nos docet, universam Ecclesiam ejus ævo Liturgica illa Paulli præcepta sequi, eo ut ubique Ecclesiarum pro Principe tum Sacerdos, tum fideles nominatim precarentur: *Quam formam*, ait ille, *vel exemplum omnis Ecclesia modo retinet* (b): quod si *omnis Ecclesia* ea utebatur prece, idipsum & in Germaniæ illis, cujus gentis erat Haymo, factum fuisse, satis certe liquet.

Ad

(a) *Capitular. Anni* DCCCI. *cap.* I. *ap. Balut. tom.* II. *p.* 217. *Edit. Lugd.*

(b) *Comm. in* I. *ad Timoth. apud Danetium Episcop. Vaurens. lib.* II. *de Ritib. Eccles. c.* XXXIII.

Ad Gallicanam nunc gradum faciamus Ecclesiam, cujus disciplinæ testes etsi Liturgici Ordines sint, quos paulo post ad trutinam revocabimus; heic nihilominus e re maxime nostra erit veterum ejusdem Ecclesiæ, atque gentis Patrum sententias expendere. Quarto itaque Sæculo cum Gallicanæ Ecclesiæ pacem Arriani pravis eorum dogmatibus turbare conarentur, eis strenue restitit Pictaviensis Ecclesiæ Episcopus Hilarius, qui, ne hæreticorum persecutionibus Gallorum fides pateret, Imperatoris Constantii auxilium interpellavit, eumque calamitatum, quibus Catholici vexabantur, certiorem fecit, supplicibus libellis Imperatori scriptis, in quibus sic illum precatur (a): *Permittat lenitas tua Populis, ut quos voluerint, quos putaverint* (al. *deputaverint*, ut in Codice Biblioth. Colbertinæ), *quos elegerint, audiant docentes, & Divina Mysteriorum solemnia concelebrent, & pro incolumitate, & beatitudine tua offerant preces*. Animadvertant heic quæso, qui indolis Christianæ Relligionis ignari, novam quandoque portendere disciplinam co-

(a) *Lib. 1. ad Constantium Imper. p.61. Edit. Colon.*

nati ſunt, Conſtantium Arriana hæreſi commaculatum fuiſſe, neque iccirco Catholicos pro ejus *incolumitate*, atque beatitudine precari dedignatos eſſe in Liturgia, ut Hilarius teſtatur; loquitur enim ille de Divinis Myſteriis, nimirum de Sacrificii Liturgia, in qua Sacerdotes pro Imperatore *preces* offerebant. Quamquam etenim Eccleſia Principem catholicam profiteri fidem quam quæ maxime optarit, eoque potiſſima contulerit vota; ſi quando Princeps a vera deſciviſſet fide, quin illum contemtui haberet, pro eo vehementius precata eſt, eumque uti Principem a Deo conſtitutum nihilominus reverita eſt. Hilario ſecutus eſt S. Proſper patria Aquitanus, qui Sæculo v. libros ſcripſit *De Vocatione Gentium* (quos luculentiſſimis argumentis ei vindicavit Cl. Antelmius in Diſſertatione *De Operibus S. Leonis Magni*, & *Proſperi*), in quorum primo Apoſtoli Paulli ſæpius laudatam epiſtolæ I. ad Timotheum periocham ſic explicat ille (a): *Præcepit Apoſtolus fieri obſecrationes pro Rege . . . quam legem ſupplicationis ita omnium Sacerdotum, & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nul-*

(a) *Lib.* I. *c.* IV. *p.* 75. *Edit. Rothom.*

nulla pars Mundi ſit, in qua hujuſmodi orationes non celebrentur a populis Chriſtianis. Diſcrimen autem illud, quod inferre Proſperus videtur inter Sacerdotes, & fideles, publicam forte, atque privatam reſpicit precem, Sacerdotes quippe in Liturgia, fideles tum in Eccleſia, tum domi pro Rege precabantur: Nemo enim hanc negligebat precationem, ſiquidem lex erat, & quidem Apoſtolica, ut Proſper ait: *Legem ſupplicationis*. Neque hæc quaſi oratoris verba habeas velim, cum Proſper Theologum plane hiſce in libris agat. Hinc Gallicana Eccleſia huic legi uſque ſtuduit; unde Synodi Agathenſis Patres, Anno DVI., quæ Clodoveo Rege habita eſt, fideles hortantur, aſſiduam ut huic preci operam dent, quod liquet ex Synodi Præfatione. Quamobrem nuſquam e Gallicanæ Eccleſiæ Patrum animis exceſſit illa, neque ex Eccleſiæ diſciplina, cum hi ſæpe hujus precis vim, atque neceſſitatem in populorum memoriam revocarent. Id præ ceteris fecit Hinchmarus Rhemenſis Archiepiſcopus Sæculo IX. in epiſtola ſuæ Diœceſis Clero ſcripta, cui & hujus precis pro Principe vim ſuadet, & ex ipſamet Eccleſiaſtici Ordinis conditione

Cle-

Clerum hisce precibus omnino teneri, docet: Siquidem Ecclesiæ ministros, qui Cæsari, quod Cæsaris est, reddere tenentur, ea, qua illis par est, ratione Principi præsto esse oportet: quare Hinchmarus suæ Metropoleωs Episcopis scribebat (a): *In auxilio igitur præbeamus arma Divina, jejunia, orationes, lachrymas, implorationes ad Sanctorum suffragia, & auxilia Divina per nos, nostrasque Parochias*. Non inquam Liturgicam dumtaxat precem Episcopi, ceterique Ecclesiastici Ordinis homines ut satis habeant, vult Hinchmarus, sed illos *jejuniis*, *orationibus*, *lachrymis*, aliisque piis officiis pro re nata operam conferre, cum jus illud eos doceat ipsemet Christus, dicens: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ Dei, Deo*. Apprime enim Hinchmarus, vir sui Sæculi pietate, atque scientia facile princeps, noverat, quæ illos tenerent, sacra fœdera, quæque Ecclesiastici homines suapte Ordinis natura inerant. Pudeat igitur Ecclesiasticos, si qui sunt, paucis illis Liturgicis formulis contentos, ac discant intimis mentis sensibus proprio fungi erga Principem officio; je-

ju-

(a) *Epist.* IX. *ad Episcop. Provinciæ Rhemen. ap. Baluz. Capitular. to.* II. *p.* 202. *Edit. Lugd.*

juniis, orationibus, lachrymis Deum Principi propitient; si tandem Christi judicis ora, tum cum ei suscepti muneris rationem referent, æternum erubescere nequeant.

Eadem eodem Saeculo paulo ante laudatum Hinchmarum docuerat Agobardus Lugdunensis Episcopus Anno DCCCXIII., in Libro *de Judaicis Superstitionibus*, quem Ludovico Pio Caroli Magni filio dicavit. Is enim de precatione, quæ nominatim in Liturgiæ Mysticæ Canone fiebat, locutus, illam appellat: *perpetuam intercessionem* (a). *Perpetua* certe, cum quotidie ubique Ecclesiarum fieret: *Intercessio*, cum nil sit efficacius ea prece, quae in ipsomet Christi Sacrificio Patri offertur.

Hanc traditione quadam custodivit Disciplinam summa relligione Gallicana Ecclesia, etiam postquam Romanam amplexa est Liturgiam. Quare Sæculo XII. Hildebertus Cenomanensis Episcopus, ac tandem Turonensis Archiepiscopus in Sacro Poemate, quo metro quodam prosecutus est Liturgiæ explicationem, sic exponit illa Canonis verba: *In primis, quæ Tibi offerimus, &c.* (a): *Ingre-*

(a) *Apud Grancol. l' Ancien Sacramentaire to.* II.
(b) *Hildeb. L. de Mysterio Missæ ap. Melchior. Hittorp. de Divin. Offic. p.* 834. *Edit. Paris.*

Ingrediens Sacra Sanctorum Leviticus orat
Pro se, proque suo Principe, gente, domo.
Hinc etiam pro Pontificis, Regisque salute,
Pro reliquis infra sicut oportet agens

Heic forte alicui videbitur, Hildebertus unam, eamdemque sententiam tum primo, tum altero Disticho iterasse; verum mihi quidem videtur, primo disticho ritum, altero penitiorem Liturgicæ precis naturam Hildebertus explicasse. Primo sane disticho Sacerdotem Sancta ingressus, nimirum Canonem exorsus, orare dicit pro se, pro Principe, pro gente sua, pro domo, verba Canonis, quibus generica quædam precatio continetur, commendans. Altero autem disticho, quid sibi velit suapte natura precatio illa, indicare videtur; ait enim Sacerdotem *agere pro Pontificis, Regisque salute*, nimirum *Sacrificare*, passim enim *agere* pro *Sacrum facere* usurparunt Ecclesiæ Scriptores; quare medio ævo Canonem Missæ, in quo Sacrificium perficitur *Actionem*, a Walfrido Strabone appellari diximus in altero libro *de Christianæ Ecclesiæ primæ*, *me-*

mediæ, *& novissimæ ætatis Politia* (VI). *Sacrificare* autem optimo jure Sacerdos pro iis, quorum in precatione meminit, dicitur, cum passim *precis* nomine ipsum venerit *Sacrificium*, atque Ecclesia in ipsamet Canonis prima parte salutarem Deo offerre hostiam pro iis doceat, pro quibus in eodem Canone precatur. Hæc profecto minime latent Ecclesiasticæ phraseologiæ gnaros. Haud frustra itaque alterum addidit Distichon Hildebertus, in quo Sacerdotem re ipsa Sacrificium pro Pontifice, atque Rege, quibus nominatim bona a Deo in ipsomet Canone precatur, perficere dicit: hisce enim brevi patefacit ille arcanam ipsius Liturgiæ indolem, atque unà testatur, Ecclesia quanta prosequatur Principem in ipsis Sacris reverentia.

Gallicanæ Ecclesiæ, de qua hactenus de-

(VI) In Canone IX. Concilii Carthagin. vulgo II. Canon Missæ appellatur: *Agenda*. Augustinus etiam epist. CXVIII. nov. edit. ipsam Liturgiam nuncupavit: *Ordinem Agendi*. Hinc Latini Poetæ vocem *facere*, pro *Sacrificare* usurparunt. Sic Virgilius Ecloga III. *v.* 77.

Cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

nimirum cum *immolem*. Quam equidem phrasim ab Orientalibus Latini forte mutuati sunt, siquidem in Levitico *c.* XV. *v.* 15. legimus de oblatis duobus pullis ועשה אתם הכהן אחר חטאת, h.e., *&* עשה *faciet illos Sacerdos unum pro peccato*, ubi *facere* est pro *immolare*.

demonſtravimus, veſtigia in re Liturgica Anglicanam Eccleſiam tenuiſſe nemo eſt, qui dubitet. Verum in rem maxime noſtram eſt, unum pro omnibus illius Eccleſiæ teſtimoniis, proferre, præſertim cum hujus diſciplinæ indolem magis, magiſque aperiat. Ejuſmodi itaque eſt Eduardi Angliæ Regis hujus nominis I. Lex, quam occidente Sæculo IX., de precibus pro Principe tulit. Harum autem legum epitomem habemus ad calcem Hiſtoriæ Anglicanæ Bedæ Prebyteri, ubi hæc de Eduardo I. legimus (*a*): *Eccleſiam Anglicanam, aliaſque ejus terras a tributo liberas fecit, quia magis confidebat in orationibus, quam in armorum defenſionibus*. Eccleſiæ Anglicanæ nomine heic veniunt cenſus ipſius Eccleſiæ, quibus Sacri Ordinis homines alebantur. At obſcura nihilominus, atque implexa primo in limine hujus Legis ſententia videtur; preces enim, atque a tributis immunitas qua ſecum inter conveniant ratione, ſatis non liquet. At ſi Eccleſiæ, Imperiique politiam intime perſcrutemur, atque utraque conferamus ju-

(*a*) *In Append. Hiſt. Angli. Bedæ*, *cap.* XI. *de Legib. Eduardi I. p.* 516. *Edit. Lugd.*

jura, quid lex illa ſibi velit, facili negotio intelligemus. Profecto quis quis hominum in Republica vivit, cujuſcumque ordinis, vel dignitatis is ſit, boni civis partes tueatur oportet: bonum autem civem imprimis decet omnem conferre operam Reipublicæ bono, illam domi, militiæque tueri, adeoque curas, vires, onera cum concivibus ſociare; eo ut officii atque humanitatis expers merito habeatur ille, qui civis cum ſit, atque Reipublicæ commodis fruatur, publica ſubire onera recuſat. Ex his certe ſequitur ipſos Eccleſiaſtici Ordinis homines, cives cum ſint, fortunarum omnium, onerumque Reipublicæ participes ſuapte natura eſſe, in pace tributis conferendis, quibus publica ſtat res, in bello armis gerendis, quibus publicam tueantur ſalutem, eodem, quo reliqui concives, jure teneri. At Chriſtiani Principes, quibus Relligionis indoles perſpecta fuit, benigne illis fecere, eoſque tributa, vel arma in bello gerendi immunitate donarunt. Hujus vero immunitatis duplex eſt cauſſa: una, ne qui Sacra tractant, prophanis inde abducerentur negotiis: Altera ea eſt, quam heic affert Eduardus, ne ſcilicet illi Reipublicæ officiis

ficiis præpediti, ab iis avocarentur precibus, quas illos pro Principe, atque Republica precari opus est, cum, ut perbelle ait Eduardus, Christiani Principes pro certo haberent *in orationibus, magis quam in armorum defensionibus* confidendum esse. Patet igitur nunc Eduardi Lex, qua Rex & Ecclesiastici Ordinis homines a *tributo liberos facit*, & immunitatis hujus argumentum affert, quo nimirum illi alacriori animo precibus assiduam operam dare possent. Hinc si quandoque Princeps Sacri ordinis homines in militum album conscribi voluerit, neque hi Divina immunitatis jura, Scholasticorum commenta, jactitarunt, sed eam ipsam, quam hactenus diximus, immunitatis hujus caussam illius oculis objecere; quemadmodum Romanæ Ecclesiæ Clerici Philippo Imperatori (*a*), qui illos jusserat milites inter cooptari, dixerunt, Imperatorem deprecati, ne militibus adlegeret eos,

Qui pro Rege suo Regi suffragia Summo
Fundere cum precibus ajunt se jure teneri.

In his autem animadvertendum est præci-

(*a*) *Philippidos lib.* 11. *ap. Willielm. Britonium p.* 147. *Edit. Genev.*

cipuam quamdam instituí comparationem inter ea jura, quibus cives, atque precis officia, quibus Ecclesiæ Ministri tenentur. Quemadmodum etenim, ipsamet magistra natura, ea, quæ Rempublicam spectant, cives tenent officia; ita Ecclesiæ homines, Relligione dictante, id genus precibus omnem operam navare tenentur. Quamobrem si is, qui boni civis munera vel desert, vel languide præstat, immani se obstringit piaculo; quanti non erit illorum Ecclesiasticorum scelus, qui cum immunitate fruantur, vel pro Principis, Reipublicæque felicitate precari negligant, vel oscitanti nimium animo hisce precibus vacent?

Itaque ut nostrum tandem colligamus argumentum, satis abunde hoc paragrapho ostendimus, in Occidentali Ecclesia, perinde ac in Orientis illa jam tum a Constantini Magni Imperio, nominatim pro Principe in Sacris Mysticæ, atque Psalmodicæ Liturgiæ officiis Christianos precari consuevisse.

§. VIII.

De Precum formulis pro Rege, quæ in Liturgicis medii ævi Litaniis habentur.

CUm medio ævo peculiari quadam ratione tum Clerus, tum populus quasdam recitaret Litanias, quibus pro Rege, atque Regia domo ſingillatim ſupplicabatur; ſingulari hoc paragrapho, quæ reſtant, id genus Litanias in medium afferre, atque illuſtrare, operæ pretium duximus.

Quatuor itaque ſuperſunt ejuſmodi Litaniæ, nimirum Anglicana, Carolina, Alamannica, atque Colbertina. Omnium vetuſtior *Anglicana* eſt, quam e ms. codice membranaceo Sæculi VII. Bibliothecæ Remigianæ apud Rhemos vulgavit Mabillonius (*a*). Huic proxime ſequitur *Carolina*, qua ætate Caroli Magni utebantur Imperii Eccleſiæ, ex ms. Codice Parthenonis S.Mariæ apud Sueſſionas. Tertia eſt *Alamannica*, quam publici juris fecit Golda-

(*a*) *Veter. Analect. p.* 168. *Edit. Parif.*

dastus ex codice optimæ notæ Sæculi IX. (*a*). Postrema est *Colbertina*, quam ex codice precum Imperatoris Caroli Calui Bibliothecæ Colbertinæ edidit Stephanus Baluzius (*b*). Antequam singulas expendamus, nonnulla lectores præmonere opus est.

Litaniarum origo ab ipsis publicis Supplicationibus repetenda videtur. Olim enim, quod omnes norunt, Episcopus die Rei Sacræ faciendæ indicta, quò conveniendum esset, populum certiorem faciebat. Illuc commeabat populus, & cum adveniret Episcopus cum Clero, simul illinc omnes supplicationem instituebant ad eam Ecclesiam, in qua Sacrum peragendum erat. Hæc appellabatur *Statio*. Dum autem Episcopus cum populo ad Ecclesiam, in qua Sacrum perficiendum indixerat, progrederetur, preces quædam alternatim recitabantur, forte ne populus mente vagaret. Hæ preces *Litaniæ* dictæ sunt a το λιτανευω *precor*, ac ea de re ipsamet Supplicatio *Litaniæ* nomen tum apud Græcos, tum penes Latinos obtinuit.

 Po-

(*a*) *In Antiquit. Alamann. t.* II. *part.* I.

(*b*) *In Append. ad Capitular. Reg. Franc. p.* 1487. & 88. *Edit. Paris.*

Populus itaque preces, Litanias nimirum, recitans, Ecclesiam ingrediebatur, quibus absolutis, Episcopus *Orationem*, quæ in Sacramentariis *Collecta* appellatur, dicebat, a qua Missam exordiebatur; nam ad mediam usque ætatem nullus erat in Missa *Introitus*, cum illa a *Collecta* statim inciperet. Hinc postquam *antiphonæ* illæ, quas olim Sacerdos, cum sacris indueretur vestibus, dicebat, a Choro cantari cœperunt, quæ *Introitus* nomen obtinuere, adhuc stetere *Kyrie*, quæ Litaniam excipiebant, atque ad nostram usque ætatem *Introitum* sequuntur penes Latinos, & post *orationes* habentur etiamnum inter Græcos, quorum Liturgia ad antiquarum normam *Introitu* caret.

Initio autem isthæc Litania, quæ veluti exordium Liturgiæ erat, nonnisi iis *Kyrie eleison* constabat, quæ alternatim Clerus, atque Populus canebant. Mox additum *Christe eleison*, quod forte inter Latinos factum est Sæculo VI., teste Concilio Vasense II. (*a*). Ac tandem nomina Sanctorum post Trinitatis, Christi, atque Apostolorum illa sensim Litaniis accessere,

(*a*) *Anno* DXXIX. *cap.* III.

re, cujus rei antiquius monumentum Anglicana certe est Litania, quippe quam Sæculo VII. exaratam fuisse Mabillonius nos doceat.

At cùm tandem *Stationis* usus exolevit, parum stetere & Litaniæ in re Liturgica, quibus demum plane antiquatis, *Kyrie &c.* reliqua fuerunt post Missæ *Introitum*. Id autem eo factum est, quod olim, ut ad Ecclesiam ventum erat, Diaconus, sive Subdiaconus, qui præcentoris munere fungebatur, præteritis aliis, si quæ forent adhuc dicenda, Sanctorum nominibus, *Kyrie &c.* cantabat; quare *Kyrie* dumtaxat, quæ postremæ erant preces, in Liturgia reliqua fuere. Hinc eadem *Kyrie*, quibus exordiebatur, atque terminabatur Litania, ipsi Litaniæ nomen dedere, ut testis est Auctor Vitæ S. Wunbaldi Abbatis Heidemenhensis, penes quem *Kyrie eleisare* pro Litanias recitare, legimus: *Omnis plebs Kyrie eleisabant* (VII).

 Tan-

(VII) Brissonius in Formulis ait: *Fontem hujus precationis*, nimirum Kyrie eleison, *esse a Paganorum consuetudine*. Id sane testatur Arianus in Dissertatione ad Lib. II. c. VII. Epicteti, ubi ait: *Deum invocantes, precamur cum Kyrie eleison*. Num autem scriptor

Tandem animadvertendum, penes Græcos adhuc antiquæ Liturgiæ ea in re ritum servari, cum hi inter *Kyrie* preces quasdam pro Rege, pro Patriarcha, pro Exercitu precentur, ut infra dicendum erit. Latini enim tum cum hisce usi sunt Litaniis, id genus preces inter Sanctorum nomina egisse ipsæ, quas in medium afferemus, Litaniæ testantur. Hæ igitur quatuor Litaniæ ipsius Liturgiæ partes quodammodo fuisse ex iis, quæ hactenus diximus, liquido patet, cum eas inter Alamannica dumtaxat præcipuum quemdam Germanæ Ecclesiæ ritum nos edoceat, ex quo quidem originem rituum illius Ecclesiæ dilucidius intelligemus. His in antecessum dictis, singulas nunc Litanias in medium proferamus.

LI-

ptor Sæculi 11. Aeræ Christianæ, de prece generatim loquatur satis mihi non constat. Eritne textus vitiatus, atque legi posset: Κυρια ελεος σωων *Domina Misericordia servans*, quæ Deæ nomen est, uti apud Suidam Ελεου Βωμος *Ara Misericordiæ*. At huic quæstioni tempus non vacat.

LITANIA ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

Post Sanctorum nomina hæ sequuntur preces.

Ut Regem, & Episcopum nostrum conservare digneris. R. Te rogamus, audi nos.

Ut vitam, & sanitatem eis dones. R. Te rogamus, audi nos.

LITANIA CAROLINA.

Hanc, ut diximus, Mabillonius edidit, qua, ut ipsæ testantur preces, ætate Caroli Magni Imperii Ecclesiæ usæ sunt. Nos autem heic ex Mabillonio illam κατὰ λέξιν exscribimus, cum ipsemet Mabillonius profiteatur, codicem, ex quo illam exscripsit, innumeris scatere erratis pro latinæ linguæ illius ævi inscitia.

Kyrie Eleison.

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat III.

Christe exaudi

Adriano Summo Pontifice, & Universale Papæ Vita.

Redemptor Mundi Tulo juva (h. e.) *tu illum juva*.
Sancte Petre Tulo juva.
Vel alius Sanctos, quales volueris.
Exaudi Christe.
Carolo Excellentissimo, & a Deo Coronato, Magno, & pacifico Rege Francorum, & Langobardorum, ac Patricio Romanorum Vita, & Victoria.
Salvator Mundi Tulo juva.
Sancte Johannis Tulo juva.
Vel alios Sanctus, quales volueris.
Exaudi Christe.
Pipino, & Carolo nobilissimis Filiis ejus Vita.
Sancti illius, quales volueris.
Exaudi Christe.
Pipino Rege Langobardorum Vita
Sancti Mauricii Tulo juva.
Vel alius Sanctos, quales volueris.
Exaudi Christe
CHludovico Rege Aquitaniorum Vita.
Sancte Martine Tulo juva.
Vel alius Sanctos, quales volueris.
Exaudi Christe.
Frastrændanæ Reginæ Salus, & Vita.
Virgines Christi, quales volueris.
Exaudi Christe.

Omnis

Omnibus Judicibus, vel cuncto Exercitui Francorum Vita, & Victoria.
Sancte Remigii Tulos juva.
His sequebantur *Kyrie*, ac tandem Oratio.

LITANIA ECCLESIARUM ALAMANNICARUM.

Finita Oratione, post Gloria in Excelsis Deo *dicit Sacerdos.*

Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat, *tribus vicibus, similiter & Clerus.*

Exaudi Christe. RP. (h.e. *Respondet populus*) Nicolao Summo Pontifici, & universali Papæ Vita.

Salvator Mundi RP. Tu illum adjuva.
Sancte Petre RP. Tu illum adjuva.
Sancte Paule RP. Tu illum adjuva.
Sancte Andrea RP. Tu illum adjuva.
Sancte Clemens RP. Tu illum adjuva.
Sancte Xiste RP. Tu illum adjuva.
Sancte Cyriace RP. Tu illum adjuva.

Exaudi Christe RP. Huldowico a Deo Coronato, Magno, & Pacifico Regi Vita, & Victoria.

Re-

Redemptor Mundi RP. Tu illum adjuva.
Sancte Michael RP. Tu illum adjuva.
Sancte Gabriel RP. Tu illum adjuva.
Sancte Raphael RP. Tu illum adjuva.
Sancte Johannes RP. Tu illum adjuva.
Sancte Stephane RP. Tu illum adjuva.
Sancte Theodocle RP. Tu illum adjuva.
Exaudi Christe RP. Hemmæ Reginæ Nostræ Vita.
Sancta Felicitas RP. Tu illam adjuva.
Sancta Perpetua RP. Tu illam adjuva.
Sancta Petronilla RP. Tu illam adjuva.
Sancta Lucia RP. Tu illam adjuva.
Sancta Agnes RP. Tu illam adjuva.
Sancta Cæcilia RP. Tu illam adjuva.
Exaudi Christe RP. Nobilissimæ Proli Regali Vita.
Sancte Silvester RP. Tu illam adjuva.
Sancte Laurenti RP. Tu illam adjuva.
Sancte Nazari RP. Tu illam adjuva.
Sancte Pancrati RP. Tu illam adjuva.
Sancta Anastasia RP. Tu illam adjuva.
Sancta Genovefa RP. Tu illam adjuva.
Sancta Columba RP. Tu illam adjuva.
Exaudi Christe RP. Omnibus Judicibus, vel cuncto Exercitui Francorum, & Alamannorum Vita, & Victoria.
Sancte Hilari RP. Tu illos adjuva.

San-

Sancte Martine RP. Tu illos adjuva.
Sancte Maurici RP. Tu illos adjuva.
Sancte Dionysi RP. Tu illos adjuva.
Sancte Albane RP. Tu illos adjuva.
Sancte Crispine RP. Tu illos adjuva.
Sancte Crispiniane RP. Tu illos adjuva.
Sancte Gereon RP. Tu illos adjuva.
Christus vincit: Christus regnat: Christus imperat.
Rex Noster. Christus vincit.
Spes Nostra. Christus vincit.
Gloria Nostra. Christus vincit.
Misericordia Nostra. Christus vincit.
Auxilium Nostrum. Christus vincit.
Fortitudo Nostra. Christus vincit.
Liberatio, & Redemptio Nostra. Christus vincit.
Victoria Nostra. Christus vincit.
Arma Nostra Invictissima.
Murus Noster Inexpugnabilis.
Defensio, & Exaltatio Nostra.
Lux, Via, & Vita Nostra.
Ipsi soli gloria, & potestas per immortalia Sæcula Sæculorum. Amen.
Ipsi soli Honor, Laus, & Jubilatio.
Ipsi soli Virtus, Fortitudo, & Victoria.
Christe audi nos. *ter*.
Kyrie Eleison. *ter*. Feliciter. *ter*. Tempora

pora bona habeas . *ter* . Multos Annos . *ter* .

Post Missam :

Conservet Deus Ecclesiam suam Sanctam. Amen.

Fidem nostram inlæsam custodiat Dominus. Amen.

Remissionem peccatorum omnium, & vitam æternam largiat Dominus. Amen.

Memor sit Dominus Domini Nostri Hludewici, & omnes fideles Dei Ecclesiæ salvet, protegat, & benedicat. Amen.

Nos protegat, atque defendat ab omni malo, & perducat nos in Regnum gloriæ suæ. Amen.

Conservet Deus omnes Fratres nostros. Amen.

Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & usque in sæculum. Amen.

Hunc diem RP. Multos Annos.

Dominum Hludowicum Regem. RP. Deus conservet.

Salvator mundi	RP. Tu illum adjuva.
Sancte Petre	RP. Tu illum adjuva.
Sancte Paule	RP. Tu illum adjuva.
Sancte Andrea	RP. Tu illum adjuva.
Sancte Gereon	RP. Tu illum adjuva.

Feliciter, Feliciter, Feliciter. Tempora bona

na habeat. Tempora bona habeat. Multos annos. Amen.

Oratio.

TU Summe Retributor, atque miserator omnium Deus, eorum Regna custodi, quos tibi placita castitate junxisti: gentes rebelles opprime: populos eorum in tua pace dispone: Isti tuæ pareant jussioni, & Tu eorum esto Custos Imperii.

Dona eis profutura Consilia, quibus prædicandam sapientiam contulisti. De tua, non de Mundi potestate sint: Reges, habentes Diademata, Divina cogitent ubique mandata. Te timeant, ut mortalia non pavescant: in tua fortitudine, quam in sua potestate confidant. Istos peculiariter præsta Te quærere, & Te feliciter eis velle, præstare.

Perpendite, Venerabiles Domini, quo amore regnetis: Non auderemus ista publice Divinitati dicere, nisi quia & secretius eadem nos cognoscit optare.

Sancta Divinitas usque in extremos fines Imperium tende Romanum: termini ejus Oceano lambiente cingantur. Sed Principes Nostri Mundo sic imperent, ut eis Mundus imperare non valeat: Te timeant, ut nihil metuant: Ad Diadema tuum

tuum veniant ex hac Corona Mundana: Concede illis nuptialem Stolam, qui fecisti in eis humilem purpuram: Dona Illis Regnum, ubi nec vita concluditur, nec lætitia terminatur. Amen.

Luculentiſſimi hujus Monumenti, quod cetera id genus plane vincit, verbis paululum immoremur. Illud profectò abſolutiſſimum Apoſtolicæ doctrinæ, pietatis Populorum, eorumque in Principem ſtudii, atque Eccleſiaſticæ traditionis, quod ad noſtrum attinet argumentum, exemplar merito dicendum erit; cum in reliquis, quot quot præ manibus mihi fuere, Liturgicis Ordinibus, ne una quidem earum precum, quæ pro Rege leguntur, ferventiſſimis hiſce precationibus comparari queat. Hinc Litania illa argumento procul dubio nobis erit, egregii amoris, eximiæque benevolentiæ, qua vehementius Principem complectebantur Alamannorum Eccleſiæ, cum illa omnes contineat preces, quot quot nos docuit Chriſtiana Relligio, vel ſuadere poteſt mens, cui nil poſt Deum Principe carius eſt.

In ea itaque, ne dum pro Rege, ſed & pro

pro Regina, pro eorum Liberis, ac tandem pro Judicibus, atque Exercitu singillatim preces fiebant. Post hanc autem Litaniam Missam Sacerdos prosequebatur, qua absoluta, rursus eadem precabatur. Inter ipsas autem preces maximi equidem momenti sunt verba illa, quibus Sacerdos Regem, Reginamque, si forte Liturgiæ adessent, alloquebatur. Illa sane testatum faciunt intimum Ecclesiæ sensum, ac Sacramenti quodammodo vim præseferre videntur: Sacerdos siquidem ut Principi suaderet, preces illas intima Ecclesiæ sensa reapse continere, Deum ipsum testem adhibebat, dicens: *Non auderemus ista publice Divinitati dicere, nisi quia & secretius eadem nos cognoscit optare*. Ab istiusmodi itaque disciplina nusquam decessit Germana Ecclesia tum cum propria usa est Liturgia, tum cum Romanam secuta est, ut infra ex quodam Pragæ Concilio Sæculi XVI. (cujus inquam notionem acceptam refero Episcopo Thienensi Antonio Bernardo Gurtler Reginæ Nostræ, quam Deus æternum sospitet, a Confessionibus, Patrono meo splendidissimo) ostendemus (VIII).

LI-

(VIII) Acclamationes, quas in hac legimus Litania

LITANIA COLBERTINA.

Hæc exarata videtur ætate Caroli Calui; quam Colbertinam appellamus, cum ex Codice Bibliothecæ Colbertinæ illam exſcripſerit Baluzius.

Incipit Litania a *Kyrie &c.* de more, ſequuntur Sanctorum nomina, ac tandem preces pro Rege, atque Regia domo. Illam autem ipſum Regem forte privatim recitaſſe ex ipſis precibus conjicere licet. Verum ex *Reſponſoriis* veroſimilius mihi videtur, Regem publice per ſe illam recitaſſe, populo reſpondente: *Te rogamus, audi nos.* Libentius quoque crederem, hanc Litaniam adhibuiſſe Clerum Capellæ Regiæ in Liturgiæ initio, cui ipſemet Rex intererat.

Ut mihi Karolo a Te Regi Coronato
Vitam, & proſperitatem, atque victoriam dones. Te rogamus audi nos.
Ut Hirmidrundim Conjugem noſtram conſer-

nia partim e Græcorum illis mutuatas eſſe Alamannicas Eccleſias mox oſtendemus. Partim Romani Imperii genium ſapiunt, cujuſmodi eſt illa *Feliciter*; legimus enim ea acclamatione olim uſos eſſe Romanos. Sic Domitiano Imperatori populum in Amphiteatro acclamaſſe: *Domino, & Dominæ feliciter*, & Claudio Imperatori: *Feliciter partim Patruo Imperatoris, partim Germanici fratri*, ſcribit Suetonius.

servare digneris. Te rogamus, audi nos.

Ut nos ad gaudia æterna perducere digneris. Te rogamus, audi nos.

Ut Liberos nostros conservare digneris. Te rogamus, audi nos.

Ut sanitatem nobis dones. Te rogamus, audi nos.

Ut compunctionem Cordis nobis dones. Te rogamus, audi nos.

Ut fontem lachrymarum nobis dones. Te rogamus, audi nos.

Ut spatium pœnitentiæ nobis dones. Te rogamus, audi nos.

Ut remissionem omnium peccatorum nostrorum nobis dones. Te rogamus, audi nos.

Ut animabus parentùm nostrorum requiem æternam dones. Te rogamus, audi nos.

Ut cunctum populum Christianum conservare digneris. Te rogamus, audi nos.

Ac tandem *Kyrie* Litaniam excipiunt.

Præter nonnulla, quæ heic animadverti possent, Apprecatio illa: *Vita, longos annos*, sicco pede prætereunda minime est. Hæc sane erat antiquis acclamationum

 for-

formula, unde Augustinus ait (*a*): *Exhibes aliquam solemnitatem amicis, audis ibi, & a bene optantibus tibi: Multos annos*. Ea porro *acclamatione* Græci olim usi sunt, cum illam passim legamus in Græcorum Imperatorum numis, ac præsertim in Constantini Magni illo, qui prostat apud Cangium (*b*), cujus epigraphe ita se habet: PLVR. NAT. FEL. h. e. *plures Natales felices*. Eadem habet Leo III. Rom. Pontifex (*c*): *Reversus*, scribit ille, *ad murum Civitatis Constantinopolitanæ, cœpit .... foris muros vocibus magnis laudare, & dicere: Constantinum Magnum Imperatorem multos annos.* Celebris etiam erat *acclamatio* Græcorum πολυχρόνιον, qua utebantur, cum Imperator, vel Patriarcha in possessionem Imperii, vel Ecclesiæ veniret. Illam, utpote minime vulgarem, heic adtexere lectori injucundum non esse ducimus. Eam adhibuit Ecclesia præsertim Constantinopolitana, eamque recitavit Clerus festis Diebus Nativitatis, Epiphaniæ Domini, & die Para-

(*a*) *Serm.* XXXIX. *De Verb. Dom. c.* III.
(*b*) *Dissert. De Med. Ævi Numism. tom.* III. *Glossae. Med. Lat.*
(*c*) *Epist.* IV.

rafceve in ipfamet Liturgia. Formula ifthæc a Græcis olim dicebatur Πολυχρονιον a prima voce, qua illa incipit. Illius meminere Evagrius Hift. Ecclef. lib. II. cap. XLVII., Cedrenus Hift. Ecclef. lib. I. cap. IX., Codinus *De officio Magnæ Aulæ CPolitanæ*, aliique. Hanc formulam, editam a Du-Cangio ex Codice Bibliothecæ Regiæ numero 2023., quæ habetur etiam in Archieratico, græce exfcribimus, ac latine reddimus.

ACCLAMATIO

Ecclesiæ Constantinopolitanæ, a Græcis dicta Πολυχρονιων.

ΟΠως πολυχρονιζωσι τους Βασιλεις, ϗ τον Πατριαρχην εν τη μεγαλη Εκκλησια κατα την εορτην της Χριστου γεννησεως, ϗ των φωτων, ϗ εν τη μεγαλη παρασκευη.

Πολυχρονιον ποιησαι ο Θεος την κραταιαν, ϗ αγιαν βασιλειαν. αυτω εις πολλα ετη.

Πολυχρονιον ποιησαι ο Θεος θεοστηπτον, θεοπροβλητον θεοδοξαστον κραταιαν, ϗ αγιαν βασιλειαν. αυτω εις πολλα ετη.

Τον δεσποτην, ϗ Αρχιερεα ημων Κυριε φυλαττης. εις πολλα ετη. τρεις εις την τραπεζαν λελεχθαι ουτως. εις το πολυχρονιον ζωη, ειρηνη, υγεια: ευοδωσον, ϗ κατ' εχθρους νικην των κραταιων, ϗ αγιων ημων αυθεντων, ϗ Βασιλεων. εις το πολυχρονιον ζωη, υγεια, ϗ σωτηρια του παναγιωτατου ημων δεσποτου του οικουμενικου Πατριαρχου.

Quam ita latine interpretatus sum.

Quomodo Ecclesia diuturnum ævum precaretur Regibus, & Patriarchæ in magno Templo in festo Nativitatis Christi, Epiphaniæ, & in magna Parasceve.

Diu-

Diuturnum, ſive multorum annorum facias, Deus, potentem, & Sanctum Regem. Ipſi plures annos.

Longævum facias, Deus, a Deo coronatum, a Deo protectum, a Deo glorificatum, potentem & Sanctum Regem. Ipſi multos annos.

Dominum, & Pontificem noſtrum Domine cuſtodi in multos annos. *Ter in pulpito dictum fuiſſe hoc modo*: In multos annos, vita, pax, ſanitas: proſperum iter, & ab inimicis victoriam præbe potentibus, atque ſanctis noſtris Dominis, ac Regibus: In multos annos Vita, Sanitas, & Salus omnium Sanctiſſimo noſtro Domino, atque univerſali Patriarchæ.

His autem formulis ſingillatim utebantur Orientales in Liturgia, cum, ut Meurſius animadvertit (*a*), in ceteris, quæ extra Liturgiam fiebant, *acclamationibus*, ea dumtaxat dicebantur: πολλα ετη, h.e., *multi anni*, quam ſane formulam adhibuiſſe illos etiam in publicis Supplicatio-

 ni-

(*a*) *Gloſſar.* in v. πολυχρονιον.

nibus testis sit Luitprandus (*a*), qui de Supplicatione quadam locutus, ait, quod *Cantabatur* μιδοντι Νικηφορω πολλα ετη, h. e., *Principi Nicephoro plures anni*. Hinc colligimus, ab Orientalibus id genus formulas etiam in Litaniis, quæ in supplicationibus fiebant, ut diximus, Ecclesiam præsertim Germanam mutuatam esse, cum Alamannica Litania easdem ferme acclamationum formulas habeat. Immo obiter heic animadvertere non pigeat, in Germana Ecclesia has preces fieri consuevisse post *Gloria in Excelsis*, quod proprium Orientalis Liturgiæ est, cum ceteræ Ecclesiæ, antequam prima *Missæ oratio* diceretur, Litanias recitarent; Græci sane, ut ex eorum Liturgicis Ordinibus liquet, statim post Doxologiam majorem orationibus dictis, id genus precibus, quæ quamdam Litaniæ indolem præseferunt, vacant. Satis pro nunc sit hæc dixisse de Germanæ, Græcæque Liturgiæ convenientia; siquidem tentamina, quibus idem argumentum prosequar, atque non vulgares mutuatæ a Germanis Græcorum Liturgiæ rationes in me-

(*a*) *De Legatio ad Nicephor. Hist. Bizant. tom. v.*

medium afferam, in *Historia Codicum Liturgicorum Ecclesiæ Latinæ*, quam propediem, Deo annuente, publici juris faciam.

Postquam autem Liturgicam hanc explicavimus Acclamationem, heic nonnulla de Ecclesiæ acclamationibus generatim dicere, abs re non erit, quibus bene-ominandi antiquorum mos, perinde ac Litaniæ tum Carolinæ, tum Alamannicæ acclamationes illustraturi sumus. Acclamationum itaque usus inter Romanos olim obtinuit, quæ quidem Imperii initio in ipsomet Senatu Imperatori fiebant; hinc nonnisi, Trajano imperante, in amphitheatro, aliisque publicis locis ab ipsamet plebe fieri cœpere. Plebi enim præcentor quidam plerumque præibat, qui conceptas acclamationis formulas dicebat, easque illa repetebat *usque ad vocis defectum*, ut ait Aurelius Victor in Vopisco; quare, cum Acclamationes in publicis Actis exarari solerent, simul & quot vicibus repetitæ forent, in iisdem Actis descriptum legimus. Sic apud Scriptores Historiæ Augustæ habemus de id genus acclamationibus: *dictum quinquies, decies, vicies &c.* Has

 tan-

tandem acclamationes modulatione quadam fiebant, unde Plinius Secundus *epist.* XLI. illas appellavit *cantica*.

Hunc Acclamationum morem, ac ipsas quandoque formulas Ecclesia servavit. At duplex videtur discrimen interesse inter Paganorum, atque Christianorum Acclamationes, quod heic adnotare supervacaneum minime erit. Ac primo quidem animadvertendum est, Paganos inter nusquam *acclamationes* a *plausu* sejunctas fuisse, verbis siquidem, atque manibus *plausus* edebant. Sic Quintilianus Instit. Orat. L. VIII. c. III.: *Ut populus Romanus admirationem suam, non acclamatione tantum, sed etiam plausu consiteretur*. A *plausu* itaque abstinuerunt Christiani in Sacris Acclamationibus, quod plane liquet ex silentio veterum Patrum, aliorumque Ecclesiæ Scriptorum. Alterum discrimen tum ex animi sententia, tum ex ipsis formulis repetendum est. Ex animi profecto sententia has acclamationes inter Paganos minime fieri, fuse ostendit Sæculo II. Tertullianus, qui egregie hoc tractat argumentum integro capite XXXV., in quo ementita eorum vota, atque acclamationes Paganis exprobrat. Eadem ex

cauf-

caussa Christiana Ecclesia a quibusdam abstinuit formulis, quæ assentationem, atque Idololatricum genium magis, quam ingenuam animi sententiam præseferebant; hinc Christianos formulam, quam passim Pagani usurpabant:

De nostris annis tibi Juppiter augeat annos.

minime adhibuisse, eodem capite docet Tertullianus. *Hæc Christianus*, ait ille, *tam enuntiare non novit, quam de novo Cæsare optare*. Isthæc sane formula, Idololatri propria, vel adulationem, vel amatorium quid sapit; frequens enim amantibus, apud Poetas legimus, esse id amatæ precari. Sic nimio percitus amore juvenis amatæ respondet, atque blanditur apud Plautum (*a*).

Ego te? quam si intelligam deficere vita, jam ipse
Vitam meam tibi largiar, & de mea ad tuam addam.

Ab adulatoriis itaque hisce acclamationibus merito abstinuere Christiani, qui *Imperatoribus*, ut ibidem ait Tertullianus; *neque vanos, neque mentientes*, ne-

(*a*) *Asinar. Act.* III. *Sc.* III.

neque temerarios honores dicant ; quia veræ Relligionis homines etiam solemnia eorum conscientia potius , quam lascivia celebrant .

Quamobrem Christianos inter viguit acclamationum mos , atque ipsas quodammodo antiquas formulas a Paganis mutuata est Ecclesia præter eas dumtaxat , quæ Relligionem dedecebant ; hinc tum Græci tum Latini nonnullas antiquas etiam servarunt formulas, perinde atque acclamationis ritum . In Ecclesia enim Græca vulgo obtinuit bona-ominatio illa πολυχρονιον, de qua dictum est , quæ & penes Romanos invaluit . Ita Ovidius (*a*) .

Augeat Imperium nostri ducis , augeat annos .

Ardenti enim studio , atque quam lubentissime Imperatori vitam longævam , atque diuturnum Imperium optabant , & a Deo precabantur Christiani in ipsamet Liturgia , in qua Acclamatio illa , quam jam explicavimus, fiebat , ut laudatus Codinus , atque Habertus in Archieratico testantur.

Inter Latinos duplex id genus fuit bo-

(*a*) *Fastor Libr.* 1. *v.* 613.

bona-ominatio, ut in allatis Litaniis vidimus: vel enim *multos annos*, quod πολλα ετη Græcorum κατα λεξιν respondet, vel: *Imperatori Vita* dicebant. Simul cum *Vita*, & *Victoriam* ei precabantur. Acclamatio enim isthæc inter Romanos præsertim milites obtinuit; legimus enim milites *Victoria* conclamare apud Cæsarem (*a*). De formula *Feliciter*, ab ipsis etiam Romanis in publicis Acclamationibus usurpata, diximus præcedenti nota; quam equidem unam fuisse ex Nuptialibus acclamationibus, nos docet Appianus (*b*).

Præterea quemadmodum olim modulatione quadam Romani (ac etiam metro quodam, ut opinatur Sigebertus Avercampius in Not. ad Apologe. Tertulliani) acclamationes concinebant, ita & in Ecclesia factum fuisse discimus; inter clericos enim *Psaltæ*, quibus nimirum cantus munus erat, acclamationem modulabantur, atque populus ea dumtaxat repetebat: πολλα ετη, *multos annos*, ut testantur Co-

(*a*) *De Bello Gall. L.* v.
(*b*) *De Bello Civi. Lib.* v. *p.* 709. *Edit. Lugd.*

Codinus (*a*), atque Anna Comnena (*b*). Hinc Luitprandus supra laudatus ait: *Cantabatur* μηδοντι Νικηφορω πολλα ετη, & Coripus (*c*) de hujusmodi acclamationibus Imperatori Justino factis locutus, dicit:

Disponunt cantus, modulos & vocibus addunt.

Eadem etiam ratione, qua olim in publicis Actis tum Acclamationes ipsas, tum earum numerum describi diximus; idem & in Ecclesia factum fuisse liquet ex Actis Conciliorum, in quibus passim legimus exaratas Acclamationes tot, quot a populo, cui Acta legebantur, factæ fuere. Idipsum in Imperatorum Inauguratione, atque Episcoporum electione fieri consuevisse, scribit Evagrius. Immo epistola cx. Augustini absolutissimum est hujus moris monumentum: In ea enim Evodii, quem suum designaverat successorem, publicæ electionis Acta habentur, in quibus legimus: *Deo gratias, Christo laudes, dictum est vicies ter* (h. e. a populo): *Exaudi Christe, Augustino vita, di-*

(*a*) *De Offic. Palat. c.* VI.
(*b*) *Lib.* VI. *Alexiados p.* 167. *to.* IX. *Hist. Brizanti.*
(*c*) *Lib.* IX. *Carminum versu* 317.

dictum est sexies decies : *Te Patrem* , *te Episcopum* , *dictum est octies &c.* In ipso etiam Templo, ut Episcopus homiliæ finem faciebat , populum acclamasse , passim testatur Chrysostomus, qui Homilia XVIII. *in Genes.*, aliisque in locis abusus acclamationis damnat , atque illos inter refert abusum quemdam acclamandi , *oraria ventilando* . Hoc idem mihi indicare videtur Evagrius , qui pro *acclamare* utitur ea voce ἐπικράζειν : Nescio enim quo ductus argumento Suicerus opinatus sit , eo vocabulo Evagrium explicasse morem acclamandi *ad ravim usque* , ut ipse ait ; nusquam enim verbum ἐπικράζειν ea significatione legimus. Apud Lexicographos autem post Suidam vertitur *annuere*. Verum penitiorem verbi significationem assecutum mihi esse videor ex Hippocratis textu lib. *De locis*, in quo *sudaria* , sive oraria appellantur ἐπικρατίδης ; hinc conjectura auguror, verbo illo ἐπικρατίζειν Evagrium indigitasse morem applaudendi, sudaria , sive oraria ventilando , quod Græcos fecisse , Chrysostomus præsertim , ut diximus , testatur . Sudaria autem ita appellarunt , eo quod caput ambirent ; unde medio ævo Græci vitiato themate efformarunt illud ἐπικάριον , quasi

ἐπι-

επικρατιον, quemadmodum *Pallium*, quo omne circumdabatur, atque continebatur corpus, appellarunt. Vide Theodori Anagnostæ Eclogam 11. Unum tandem addam, Græcos nimirum hasce acclamationes ευφημιας appellasse a themate (ut grammatici ajunt) ευφημειν. Ea voce utuntur Græci Scriptores apud Cyrillum in Lexico, atque eadem significatione utitur verbo επευφημειν Dio Cassius Hist. lib. v. Verum fallitur in interpretatione hujus vocis tum laudatus Suicerus, tum Pitiscus, aliique, rati Græcos ευφημιας appellasse acclamationes ipsas, quæ, ut diximus, formulis quibusdam concinnatæ erant. Prorsus aliam esse hujus vocis significationem intelligemus, si vim verbi ευφημειν introspiciemus. Legimus enim in Sophoclis Œdipo: χαλκοστομου κωδω ος οδη νους την φωνην της ευφημου φροντιδος ιεντες, h. e., ut Suidas interpretatur: *Tacitæ curæ vocem emittentes*: ευφημη φροντις *interior cura* appellatur, cujus nimirum vox intus, in animo loquitur, ex quo vides secretam animi vocem ευφημιν appellasse Sophoclem. Hinc mihi videtur ευφημιας dixisse Græcos vota illa, quæ interius fiebant; cujusmodi fit ab iis, qui cum rem animo probent,

bent, quamquam verbis non utantur, nutu tamen illam confirmant; quare ipſummet ſilentium, quod in Sacris ſervandum erat, ευφημιαν nuncupat ab Euripides apud Suidam: ευφημια γαρ παρα σπονδαισι καλλιστον, *ſilentium in libationibus* (h. e. Sacrificiis) *pulcherrimum*. Hinc επευφημειν tum apud Dionem, tum apud Homerum Iliad. l. 1. v. 22. (επευφημησαν) *nutibus probare* ſignificare, perſuaſum mihi eſt, quicquid ſentiant vulgati interpretes. Has autem conjecturas injucundas philogræcis non eſſe ſpero, penes quos recta illarum æſtimatio erit. Hoc autem excurſu e noſtro argumento haud longe defleximus, cum acclamationes, quibus Eccleſia Imperatoribus bene-ominata eſt, qua mente Chriſtiani erga Principem affecti fuerint, magis teſtatum faciant.

§. IX.

In quo formulæ precum pro Principe Liturgiarum Orientalium afferuntur, atque illuſtrantur.

QUæ hactenus Eccleſiæ Patres, atque Scriptores ſuppeditarunt pro re noſtra

ſtra, argumenta omnino confirmant Orientalium Eccleſiarum Liturgiæ. Eccleſia enim cum imprimis omne contulerit ſtudium iis rite, recteque obeundis officiis, quibus ſacer cultus continetur, inter ipſa Relligionis initia quaſdam rei Liturgicæ leges ſanxit, eo ut etſi ritus iidem non eſſent, principes nihilominus Liturgiæ partes, atque potiſſima Divini cultus officia eadem ubique Eccleſiarum forent. Hinc jam inde ab Eccleſia condita Apoſtoli, atque illorum ſucceſſores Epiſcopi Liturgica officia ſcriptis mandarunt, quæ Græci λειτουργιας, vel ιερουργιας, Latini olim *Sacramentaria*, deinde *Curſus Eccleſiaſticos*, ac tandem *Ordinem Miſſæ* appellarunt. Paſſim autem & inter Latinos της λειτουργιας nomen obtinuit, quod Latine *publicum miniſterium* redditur; quo ſane nomine Divini, ſacrique cultus officia, quæ Eccleſia, nimirum Chriſtianorum Reſpublica, publice Deo O. M. præſtat, aptiſſime explicantur. Quamobrem operæ pretium erit, ſingulas expendere Liturgias, atque illas præſertim, quæ pro Principe in iis proſtant, precum formulas heic exſcribere, ut hoc, de quo ediſſerimus, Apoſtolicæ Diſciplinæ caput un-

undequaque exploratum lectori fit. Hoc igitur paragrapho de Orientalis Ecclesiæ Liturgiis, sequenti de Latinorum illis singillatim dicemus.

Quot quot extant Orientalium Ecclesiarum Liturgiæ, antiquam pro Principe precem omnino habent. Imo in unaquaque illarum binas legimus id genus preces, in quo quidem a Latinis differunt illæ: Nam Orientis Ecclesiæ satis non habuisse videntur, pro Principe precari, recitato e Dypticis ejus nomine; sed & conceptis summa relligione precibus rursus in Liturgia pro eo vota Deo nuncupare maluerunt. Hinc patet quanam de caussa in precum Liturgicarum formulis, ut mox ostendemus, Principis nomen desideretur; illud siquidem jam e Dypticis recitaverat Diaconus; quare cum secundò pro illo Ecclesia precaretur, supervacaneum plane fuisset ejus nomen repetere. His itaque prælibatis, singulas nunc Orientis Liturgias expendamus.

Tres maxime in Oriente inclaruere Liturgiæ, quibus usa est Græca præsertim Ecclesia, nimirum S. Jacobi illa, altera S. Basilii, ac tertia S. Johannis Chrysostomi. Quid autem sibi velint tres hæ

Liturgiæ, quisnam illarum habendus sit auctor, Proclus Constantinopolis Sæculo v. Episcopus brevi explicat; hinc ab re non erit ejus verba heic exscribere (a): *Multi quidem*, ait ille, *cum Liturgica instituta populo traderent, & alii Divini Pastores, qui Apostolis successerunt, ac Ecclesiæ Doctores Sacrorum Divinæ illius Missæ Mysteriorum rationem explicantes, scriptis mandatum Ecclesiæ tradiderunt: in quibus primi, & clarissimi sunt B. Clemens, summi illius Apostolorum Discipulus, ac successor, qui Sacrosancta illa Mysteria, a Sanctis Apostolis sibi revelata, in lucem edidit: & S. Jacobus, qui in sortem Ecclesiæ Hierosolymitanæ administrandæ vocatus fuit .... Magnus porro postea Basilius hominum socordiam, & ignaviam conspiciens, eosque nihil aliud, quam terrena, & abjecta cogitantes, & ob id longitudinis Missæ pertæsos, non quod supervacaneum aliquid, aut nimis longum continere eam arbitraretur; sed ut simul orantium, & audientium ignaviam, at-*

(a) *Homil. in Tradit. Liturg. ap. Martene De Antiq. Eccl. Ritib. to.* 1. *L.* 1. *Art.* 1. *c.* 111. *p.* 268. *Edit. Rothom.*

atque pigritiam præcideret, propterea quod multum in ea temporis poneretur, breviorem recitandam dedit... Haud multo post Pater noster Johannes, cui aurea lingua cognomen dedit, curam ovium, ut pastorem decet, magna alacritate suscipiens, ac hominum naturæ socordiam, atque ignaviam prospiciens, fibras omnes, & radices hujus prætextus satanici prorsus evellere voluit. Quare multa præcidit, & ut brevior esset, constituit; ne sensim homines, libertatem, & otium maxime amplectentes, fallacibus, & furiosis adversarii sermonibus decepti, ab hac Apostolica, & Divina Traditione deficerent. Tres itaque hasce Liturgias unam veluti habemus, cum, ut Proclus nos docet, S.Jacobi illam primo breviorem reddiderit S. Basilius, adeoque ejus adepta est nomen: ac tandem cum rursus eamdem contraxerit Chrysostomus, tertia hæc prodiit Chrysostomi nomine Liturgia, quæ duabus illis brevior est. Hinc Græcos inter Typicum illorum testatur, *in Diebus Dominicis Magnæ Quadragesimæ* (magna appellatur illa, quam Pascha sequitur; tres enim eos inter fieri Quadragesimas, nemo non novit), *& in vigiliis Domini festi,*

ſollemnitatum Magni Baſilii Liturgiam fieri, ſimiliter & in commemoratione ipſius. Præſantificatorum vero Quadrageſimæ dies ſibi vindicare (a Græcis *Præſantificatorum Liturgia* illa dicitur, quam Latini *Miſſam Siccam* appellant): *& reliquis totius anni diebus Chryſoſtomi Liturgiam fieri* (*a*). Eadem habet Ordo Monaſterii Caſulorum apud Allatium (*b*). Cum igitur duabus hiſce, Baſilii nimirum, atque Chryſoſtomi, Liturgiis Græci utantur, eaſdem ante omnia expendendas aggrediamur.

Tres circumferuntur Liturgiæ Baſilii nomine. Primam legimus in Græcorum Euchologio, cum eorum propria ſit, eaque hunc præſefert titulum; *Liturgia Magna S. Patris noſtri Baſilii*. In hac autem Liturgia binæ ſunt pro Principe orationes; quarum prima pro Regibus generatim, altera pro Principe, in cujus ditione Eccleſia erat, fieri videtur. Prima itaque inter orationes illas, quæ *Secreta* a Latinis, τα μυηθητα a Græcis appellantur, ſic ſe habet: *Memento Domine piiſſimorum, atque fideliſſimorum Regum, quos juſte conſtituiſti regnare ſuper terram*. Altera

(*a*) *Typic. Græcor. in Ord. Liturg. Præſat.*
(*b*) *In Not. ad hunc Ordin. Edit. Romæ.*

tera in Missæ Canone fit: *Oramus pro salute piissimorum, atque a Deo-custoditorum Regum nostrorum*. Alteræ huic preci Dypticorum lectio sequebatur (*a*). Secundam Basilii Liturgiam legimus apud Eusebium Reneaudotium (*b*), quæ eo prostat titulo: *Liturgia S. Basilii*. Hanc autem Copticam appellat Reneaudotius, cum ea uterentur Ægypti Ecclesiæ longe ante Jacobitas. Bis etiam in hac liturgia pro Rege Ecclesia precatur, inter *Memento*, dicens: *Reges Orthodoxos*, *Exercitum*, *Duces*, *Consiliarios omni pace exorna*. Atque iterum, lecto Evangelio, Sacerdos remissa voce ait: *Memento Domine servi tui Regis terræ nostræ, atque illum in pace, ac dignitate conserva*. Tertia tandem Liturgia ea est, quam adhibent Jacobitæ Alexandrini, quæ apud laudatum Reneaudotium dicitur *Liturgia Syriaca S. Basilii*, Duplex de more est in ea pro Principe, atque Republica precatio. Prima: *Re-*

 gem,

(*a*) *In Euchol. ap. Goar p.* 103. *Edit. Rom.*: *Inter Secreta*: μνησθητι Κυριε των ευσεβεστατων, και πιστοτατων Βασιλεων, ους εδικαιωσας βασιλευειν επι της γης: *In Canone*. δεηθωμεν και υπερ σωτηριας των ευσεβεστατων, και θεοφυλακτων Βασιλεων ημων.

(*b*) *Liturg. Oriental. to.* 1. *p.* 9. & 10. *Edit. Paris.*

gem , militares ordines , Principes viros , consiliarios , plebes , vicinos nostros , ingressus , & egressus nostros omni pace exorna. Altera : *Regem , militares ordines , principes , Consilia in omni pace constitue.* Ne autem demiretur quis discrimen , quod inter Liturgiam Basilii Copticam , atque Jacobiticam statuimus, oportet heic obiter animadvertere , unam eamdemque olim cunctis Ægypti Ecclesiis fuisse Liturgiam, eamque Græcam usque ad Dioscori , atque Eutychetis ævum. Hi etenim in sectas Ægypti Christianos sciderunt , quorum qui eorum partes, atque pseudo-dogmata sectati sunt , Jacobitarum nomen tandem Sæculo VI. usurparunt , a quodam Jacobo, uti fertur Monacho, qui Zanzalas appellabatur; quamquam aliorum sententia Jacobitarum auctor fuerit Jacobus ille , gente Syrus, qui Eutychetis doctrinam professus est , Imperatore Mauritio. At quis quis Sectæ nomen dederit , jam tum Jacobitæ peculiari quadam Liturgia usi sunt , quæ Syro-Chaldaico idiomate exarata est. Hinc Jacobitæ isthac utuntur Liturgia , cum Catholicæ fidei reliquæ Ægypti Ecclesiæ Liturgica officia obeant, lingua, quæ vulgo

go Coptica perperam appellatur, cum a Græca nonnisi characteribus quibusdam, atque vitiatis, depravatisque phrasibus differat. Hæc satis sit dixisse, qui enim rem ex ordine scire desiderat, adeat Vanslebii Historiam Ecclesiæ Alexandrinæ (*a*).

Tres pariter sunt, quæ Chrysostomi nomen præseferunt, Liturgiæ, quarum vetustior ea est, qua adhuc Græci utuntur, eamque legimus in Euchologio. Altera prostat in Missali Romano-Chaldaico. Tertia, quæ Romano-Chaldaica antiquior est, recensetur inter Syriacas apud Reneaudotium.

In prima itaque Chrysostomi Liturgia tres leguntur pro Principibus precum formulæ. I. inter Κυριε *Kyrie*: Græcorum enim mos est, inter Kyrie, quæ Chorus canit, preces quasdam recitare, Diacono admonente; idque antiquam Liturgiæ politiam omnino sapit. Hæ enim Kyrie, quibus preces sequuntur, aperte ostendunt, qua mente Ecclesia Sacrificium offerat, a quo precibus maxima illa vis promanat. Inter hæc itaque *Kyrie* Diaconus

 ela-

(*a*) *Parte* II. c. XXVIII. p. 73. &c. *Edit. Paris.*

elata voce dicit : *Pro piissimis , atque a Deo custoditis Regibus nostris , pro cunctis Palatii , atque Exercitus eorum , Deum precemur*. Quibus chorus respondet : *Kyrie eleison*. Secundo ipsemet precatur Sacerdos, qui recitato hymno *Doxologiæ majoris* (qui Latinis est *Gloria in excelsis*), dicit : *Pro fidelissimis , & Dei-amantibus Regibus nostris , pro omnibus Palatii , atque Militiæ eorum* . Tandem tertio Diaconus, Consecratione peracta, populum hortatur , ut precetur : *pro salute piissimorum , atque a Deo-custoditorum Regum nostrorum* . Quæ certe precatio Dypticorum lectioni vel præibat , vel sequebatur (*a*). Goarius tum antiquorum codicum fide ; tum aliis ductus argumentis , hac eadem Liturgia opinatur olim usos esse Monachos Græcos, qui Romanum agrum, Campaniæ Felicis , Apuliæ , Calabriæ , Siciliæ, atque Neapolis ora incolebant, quique

(*a*) *Liturg. S. Johan. Chrysost. ap. Goar Euchol. p.52. Inter Kyrie :* υπερ των ευσεβεστατων , και θεοφυλακτων Βασιλεων ημων, παντος του παλατιου , και του στρατοπεδου αυτων , Κυριε δεηθωμεν : *Post Doxologiam :* υπερ των πιστωτατων , και φιλοχριστων Βασιλεων ημων , παντος του παλατιου , και στρατοπεδου αυτων . *Tertio :* υπερ σωτηριας των ευσεβεστατων , και θεοφυλακτων Βασιλεων ημων .

que Regulam S. Basilii profitebantur. Argumento potissimum ei est antiquus optimæ notæ codex hujus Liturgiæ, qui fuit olim Monasterii Cryptæ Ferratæ. Verum de Calabris dumtaxat Monachis in dubio adhuc versamur; Reneaudotius enim Liturgiam S. Marci evulgavit ex codice Sæculi fere IX. Monasterii S. Mariæ Ὁδηγητρίας, quod erat in Calabria; hinc forte isthac potius Calabros Basilianæ Regulæ Monachos usos fuisse Liturgia verosimilius ducimus. Hanc vero quæstionem, Deo dante, alibi expendemus, atque ea occasione nonnulla Neapolitani Regni monumenta, quæ medii ævi historiam illustrant, publici juris faciemus.

Altera Chrysostomi Liturgia, quæ in Missali Romano-Chaldaico legitur, has preces habet in *Memento*: *Memento Domine Regum fidelium*, *&* *potentium*, *qui faciunt voluntatem tuam* (*a*). Ad tertiam gradum facimus, quæ, ut dictum est, post illam Euchologii, altera vetustior est. Ea itaque dicitur *Liturgia Chrysostomi Syriaca*, cum Jacobitarum, atque Nestorianorum, qui Syriam incolunt, propria

(*a*) *Ap. Reneaud. ib. to.* 11. *p.* 163.

pria ſit : Inter *Memento* hujus Liturgiæ & illud habetur : *Memento Domine Regum, & ſubditorum, qui in nomen tuum crediderunt, &c.* (a).

Id unum autem lector reputet velim, ut hujus Apoſtolicæ precis vim, atque indolem magis perſpectam habeat : quod quamquam Chryſoſtomus, ut Procli teſtimonio docemur, Liturgiam S. Jacobi, atque Baſilii contraxerit, eaque ademſerit, quæ ſupervacanea forte erant ; tantam nihilominus ſibimet induxerat precis hujus neceſſitatem, ut quin illam auferret, ad tertiam uſque vicem pro Principe in Liturgia preces fieri voluit, cum precem, quam Apoſtolus juſſerat, atque cum ipſa coorta erat Liturgia, nuſquam ſatis foret repetere.

Peculiarem quamdam habuit Liturgiam Hieroſolymitana Eccleſia, quæ *S. Cyrilli Patriarchæ* dicitur. Verum neque, ut nunc proſtat illa, Cyrillo adſcribenda erit, neque medio ævo antiquior habenda, cum novis ritibus, atque precum formulis in dies pro re nata auctæ ſint

Græ-

(a) *In Miſſali ex Arabo Latin. Gregorii Maronitæ Edit. Romæ.*

Græcorum Liturgiæ. Quamobrem etsi antiquæ Liturgiæ, quam Cyrillus forte pro sui ævi conditione concinnaverat, nova accesserint, attamen Cyrilli nomen tenuit illa. In ea autem Liturgia, quam legimus in Missali Victorii Schialath Maronitæ, Romæ edito, hæc habetur formula precis pro Principe. Diaconus elata voce post ἀναφοραν, nimirum post *Oblationem*, dum Sacerdos Altari thura ingerit, dicit: *Domine miserere Regis Terræ famuli tui.* Sacerdos autem sic precatur: *Conserva illum in pace, & justitia, ac potentia, ut subijciantur illi omnes barbari, & gentes, quæ bella volunt. Loquere ad cor ejus pro pace unicæ tuæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ: fac ut cogitet ea, quæ pacis sunt erga nos, & nomen sanctum tuum.* Quamquam primo in limine recentior plane videatur isthæc precatio, re ipsa nihilominus partim vetustior, partim posterior Muhamedanorum imperio habenda erit. Primam siquidem partem, nemo inficias ibit, altera antiquiorem esse, ac certe in Cyrilli Liturgia obtinuisse tum, cum adhuc Hierosolymitana Ecclesia Græco parebat Imperatori; nam in illa Sacerdos Deum precatur, ut *subijciantur* Regi *barbari*,

bari , *&* *gentes* , *quæ bella volunt* . Qui autem *barbari* tunc appellarentur a Græcis , nemo non videt Arabes eſſe ; itaque tum cum iſthæc obtinuit formula Hieroſolymitana Eccleſia ſub Arabum Imperio adhuc non fuerat ; ac forte tunc Arabes jam Græcum Imperium armis oppugnabant , quod indicare videntur illa: *gentes* , *quæ bella volunt* . Altera autem precis hujus pars addita eſt , poſtquam Arabes Hieroſolyma potiti ſunt ; aperte enim oſtendit, Principem , cujus Imperio Eccleſia illa parebat , Chriſtianam Relligionem minime profiteri ; qua de re Sacerdos precatur : ut Deus *loquatur ad cor* Principis *pro pace Eccleſiæ* , *&* *ut cogitaret illa quæ pacis erant erga* Chriſtianos , quæ ſatis dilucide tum Eccleſiæ conditionem , tum Principis genium oſtendunt . Id autem demirari non ſubit , eo quod de more cum novi quid Liturgiæ pro re nata acceſſit , plerumque & antiqua reliqua pariter fuere . Quod ſi huic non erit conjecturæ locus , ſatis non liquet , qua ratione utraque precis hujus pars ſecum inter conveniat ; id quod minime reputavit Euſebius Reneaudotius , cui tum pri-

prima, tum altera precis formula Muhamedanorum Imperio posterior visa est (a).

Inter Jacobitarum viginti octo Liturgias recensetur illa S. Cyrilli Alexandrini. Hæc autem Liturgia S. Marco primo Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo, atque Conditori tribuitur, quem equidem nemini dubium erit Ecclesiæ a se conditæ propriam tradidisse Liturgiam, adeoque illam merito ejus nomen tulisse. Sæculo autem quinto S. Cyrillus ejusdem Ecclesiæ Patriarcha antiquam fortassis Liturgiam, ut tum Episcoporum mos erat, instauravit, quare exinde Cyrilli nomine appellata fuit. Quæstio autem sub judice manet, num Jacobitæ, an catholici Alexandrini ea usi sint Liturgia; Vanslebius enim inter Jacobiticas illam recensivit, Catholicis illam tribuit Reneaudotius. Verum mihi videtur facili negotio huic quæstioni satis fieri posse; olim enim Catholicorum propriam hanc fuisse Liturgiam, ipsiusmet vetustas testatur, eaque adhuc Catholicos Alexandrinos uti, libenter convenirem cum Reneaudotio; siquidem hæc Liturgia nil contra

(a) *In Collect. Liturg. Orient, to. 1. p. 53.*

tra catholica dogmata continet. Neque attamen fides deneganda erit Vanslebio, qui illam Jacobitas adhibere scribit, cum Jacobitæ eadem uti Liturgia, quæ olim Catholicorum fuit, inverosimile non erit; maximi etenim faciendum esse in ejusmodi re Vanslebii testimonium, nemo inficias ibit, quippe qui recentiorem omnium ferme Orientalium Ecclesiarum disciplinam apprime perspectam habuit. Quod si Abulbircatius, atque Christodulus S. Cyrilli Liturgiam Catholicis tribuunt, quorum testimoniis Reneaudotii sententia nititur, forte illorum Scriptorum ævo adhuc & Catholici ea utebantur Liturgia. Verum quicquid sit de ea quæstione, quam obiter delibavimus, in Cyrilli Liturgia inter *Kyrie* hanc legimus precem: *Dominator Domine.... Deus precamur, & obsecramus te, ut Regem nostrum in pace, & fortitudine, & justitia conserves. Subijcito ei, Deus, omnem inimicum, atque adversarium. Apprehende arma, & scutum, & exurge in adjutorium ejus: da ei Deus, victoriam, &c.* (a).

Alia

(a) *Lit. S. Marci ex Abulbircat.* Δεσποτα Κυριε ο θεος ... δεομηθα, κ) παρακαλεμεν σε, τον Βασιλεα ημων εν ειρηνη, κ) ανδρεια, κ) δικαιοσυνη διαφυλαξον. Καθυποταξον αυτω,

Alia olim penes Orientales obtinuit S. Marci Liturgia, quam Conſtantinopolitanam Eccleſiam adhibuiſſe, ſtante Græcorum Imperio, cenſet Renaudotius; at conjectura id potius augurari videtur ille, cum nulla re ipſa ſuppetant hujus rei argumenta. Duplex autem in illa legitur pro Principe Liturgica precatio, prima ipſius Liturgiæ fere nativa videtur, altera certe Liturgiæ acceſſit, labente Græcorum Imperio, tum cum Arabes illud armis divexabant, quemadmodum ipſamet hujus precis verba ſatis aperte teſtantur; hinc altera precis formula ſequitur primæ, quæ ſarta tecta nihilominus in Liturgia ſtetit. In ea igitur Liturgia poſtquam Diaconus oblationes fidelium ſuſceperat, atque offerentium nomina de more recitaverat, indicta populo pro Rege prece, ſic illam perſequitur Sacerdos: *Rex Regum, & Domine Dominantium Regnum ſervi tui orthodoxi, & Chriſtiamantis Regis noſtri, quem jure voluiſti regnare in terra, in pace, & fortitudine, &*

αυτω, ο θεος, παντα εχθρον, και πολεμιον. επιλαβου οπλου, και θυρεου, και αναστηθι εις την βοηθειαν αυτου. Δος αυτω, ο θεος, νικας, &c.

& justitia conserves: subjicito ei, Deus, omnem inimicum, & adversarium tum internum, tum externum. Apprehende arma, & scutum, & exurge in ejus adjutorium. Effunde frameam, & conclude adversus eos, qui illum persequuntur. Expande protectionem tuam super caput ejus in die belli. Inspira ad cor ejus quæ bona sunt Sanctæ tuæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, & omni Christi-amanti populo; ut & nos in tranquillitate dierum ejus, quietam vitam degamus in omni pietate, & honestate (a): Quibus populus respondebat: *Amen*, ac mox precatio pro Pontifice fiebat. Hæc est prima, atque vetustior precis hujus formula, quæ ex ipsis Scripturæ Sanctæ verbis concinnata videtur, atque antiquam indo-

(a) *Liturg. S. Marci ap. Reneaud. CPolitana.* Βασιλευ των βασιλευοντων, και Κυριε των κυριευοντων την βασιλειαν του δουλου σου, του ορθοδοξου, και φιλοχριστου ημων βασιλεως, ον εδικαιωσας βασιλευειν επι της γης εν ειρηνη, και ανδρεια, και δικαιοσυνη· ο Θεος παντα εχθρον, και πολεμιον εμφυλιον, και αλλοφυλον· επιλαβου οπλου, και θυρεου, και αναστηθι εις την βοηθειαν αυτου, και εκχεον ρομφαιαν, και συγκλεισον εξεναντιας των καταδιωκοντων αυτον. επισκιασον επι την κεφαλην αυτου εν ημερα πολεμου. καθισον εκ της οσφυος αυτου αγαθα υπερ της αγιας σου Καθολικης, και Αποστολικης Εκκλησιας, και παντος του φιλοχριστου λαου, ινα και ημεις εν τη γαληνοτητι αυτου ημερων, και ησυχιον βιον διαγωμεν εν παση ευσεβεια, και σεμνοτητι.

dolem id genus precum præfefert, quod facili negotio ei compertum erit, qui illam cum antiquorum Patrum jam laudatis teſtimoniis conferat. Altera autem, quæ primam ſequitur, formula ita ſe habet: *Conſerva Regnum ſervi tui, Deus, quem juſte judicaſti regnare in terra, in pace, & fortitudine, & tranquillitate. Humilem, & miſerabilem, & Chriſti-amantem civitatem hanc conſerva: Libera ipſam, Deus, a diebus malis* (a). Demiratus ſum Reneaudotii ſententiam, qui ea Liturgia uſas quoque eſſe Ægypti Eccleſias, poſtquam Arabes Ægypto potiti fuerunt, opinatur; profecto intelligi nequit quanam ratione Chriſtiani Principem Arabem *Dei* δουλον *ſervum* appellarent, quo equidem nomine, ut paſſim Græcorum omnium Liturgiæ docent, nonniſi Imperatorem, quippe qui Chriſtianam profitebatur Relligionem, donabant; vel ex ipſamet enim prima precis formula ſatis liquet, Regem orthodoxum appellari *Dei* δουλον *ſervum*. Mihi autem, ut jam di-

xi,

(1) *Altera Pars.* διαφυλαξον την βασιλειαν τȣ δȣλȣ σȣ, ο Θεος, εδικαιωσας βασιλευειν επι της γης εν ειρηνη κ ανδρεια, κ γαληνοτητι. διαφυλαξον την ταπεινην, κ ελεεινην, κ φιλοχριστον πολιν αυτην. ρυσαι αυτην, ο Θεος, αφ' ημερων πονηρων.

xi, persuasum est, alteram hanc formulam Liturgiæ addidisse Christianos Orientales tum, cùm Arabum armis lacessiti, belli malis, atque adversis premerentur; id sane verba ipsamet aperte denotant, quibus infelix Civitatis conditio describitur, cujusmodi ea sunt Civitatis epitheta ελεεινην, h. e., ut hanc vocem reddit Suidas, ελεω αξιαν *miseratione dignam*, & ταπειναν *depressam*, *afflictam*, α το ταπεινο *deprimo*, *affligo* apud eumdem Suidam. Nostræ etiam favet conjecturæ ipsius precis indoles, cum ne una quidem alias inter Orientis Liturgias singularem pro Civitate precem habeat.

Inter Alexandrinæ Ecclesiæ Liturgias recensetur & illa *S. Gregorii*. De hoc autem Gregorio non convenit inter eruditos, neque ipsos inter Orientales. In Itala hujus Dissertationis editione falsus sum catalogo Patriarcharum Alexandrinorum, in quo Gregorium neminem legeram, præter Cappadocem illum, qui, deturbato ex Alexandrina Cathedra Athanasio, Arianorum ope, quorum partes ille sectabatur., Alexandrino Patriarchatu potitus est. Hunc autem Liturgiæ, de qua nobis sermo est, auctorem minime haben-

bendum esse, dixi, tum quod Liturgiam Sæculo IV., in quo Gregorius Cappadox Ecclesiam Alexandrinam moderatus est, longe recentiorem esse, græcæ linguæ gnaris liquido patet; tum quod Gregorius parum diu Patriarchali munere functus est; siquidem in Sardicensi Synodo Athanasius, expulso Gregorio, Alexandrinam Ecclesiam recuperavit; quare tum in Catalogo Patriarcharum Alexandriæ, quem edidit Reneaudotius *in Historia Patriarcharum Alexandrinorum*, tum in illo Jacobitarum, sive Arabum penes Bollandistas to.v. Mensis Junii, tum in Catalogo Patriarcharum Catholicorum apud Vanslebium, Gregorius iste inter Patriarchas Alexandrinos ne quidem recensetur. Verum re maturius perpensa dubium deinde subortum mihi est, num Gregorius hujus Liturgiæ auctor idem fuerit, ac Georgius ille Catholicus, qui S. Johanni Eleemosinario in Alexandriæ Patriarchatu successit Anno DCXVI. atque vitam S. Johannis Chrysostomi scripsit, cujus excerpta restant apud Photium *Codice* XCVI. Eidemque Georgio tribuit Casimirus Oudinus *Chronicon Alexandrinum*, a Radero editum titulo *Fastorum Siculorum*, ac tandem a Du-

Cangio titulo *Chronicis Paschalis*. Nil vero negotii facessit eruditis, Georgium vulgo hunc appellari, cum illis perspectum sit, duo hæc nomina passim, atque vicissim inter Græcos commutari; sic, ut sexcenta id genus exempla prætercam, legimus, Episcopum illum, qui ab Andronico in Constantinopolitana cathedra Johanni Becco subrogatus fuit, plerumque Georgium, aliquando & Gregorium appellatum fuisse, cujus rei monumenta prostant apud Michaelem Lequien in Damascenicis Quæstionibus. Ad hujus autem conjecturæ fidem accedit etiam ipsius Liturgiæ stilus, qui, ut dictum est, medii ævi genium sapit, ac ne parum quidem a Sæculi VII. illo discrepat. Hanc obiter attinxisse conjecturam satis erit, cum nostrum nunc minime sit, fusius heic id genus argumentis indulgere. At id unum certum, compertumque erit, neminem præter hunc unum probabilius censeri posse hujus Liturgiæ auctorem: falluntur enim Jacobitæ, qui, ut Vanslebius narrat, ejus auctorem S. Gregorium Nyssenum habent, cum illa inter IV. Sæculi opera referri nequeat. Ineptire tandem videntur, qui illam Gregorio Acindyno Græco Monacho

cho tribuunt; nam præterquamquod inauditum plane est in Ecclesiæ Politia, privatos Monachos Ordines Liturgicos scripsisse, iisque Ecclesiam usam esse, ipsamet epocha Liturgiæ cum Acindyni ætate nullimode congruit. Is enim floruit Sæculo XIV., in quo Arabes Aegypti jam potiti erant Imperio; in Liturgia autem habetur precatio pro Principe, qui *pie regnare* dicitur, ibidem Ecclesia precatur pro iis, qui erant *in Palatio*, atque appellantur ἀδελφοὶ ἡμῶν *fratres nostri*. Quis itaque aperte non videt, Liturgiam scriptam esse, stante adhuc Græcorum Imperio, adeoque cum Gregorii Acindyni ætate minime convenire? His de auctore delibatis, ad nostrum revertamur argumentum. In hac Liturgia, quam procul dubio adhibuit Alexandrina Ecclesia, inter *Kyrie*, ut Græcis morem esse sæpius diximus, hæc precationis formula legitur: *Memento Domine, eorum, qui pie regnant: Memento Domine eorum, qui in Palatio sunt, fratrum nostrorum fidelium, atque orthodoxorum, & omnium, qui in exercitu sunt*. Nemo inficias ibit, tum cum isthæc obtinuit Liturgia, Græcorum Imperium adhuc floruisse, id quod dilu-

cidius patet, si hanc cum præcedentis Liturgiæ, de qua edisseruimus, prece conferamus,

Penes Jacobitas, qui Syriam incolunt, illa invaluit Liturgia, quæ nomen præsefert *S. Johannis Evangelistæ*. Hanc autem Reneaudotius, aliique cuidam Johanni Alexandriæ Patriarchæ vindicandam esse putant; plures sane hujus nominis Patriarchas in Catalogo Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum legimus. Verum eorum nemo *Johannes Evangelista* appellatur. At in eo catalogo hujus Liturgiæ auctorem expiscari, supervacaneum prorsus videtur, cum potius inter Patriarchas Jacobitarum Syrianorum ille quærendus fuerit; qui enim Jacobitæ, Syriam tenent, propriis moderantur Patriarchis, ut mox dicemus: Liturgia autem medio Græcorum ævo satis congruit, in quo haud raro obtinuit apud illos *Johannis Evangelistæ* nomen, ut erudite ostendit Cangius in Notis ad Historiam Patriarcharum Malaxi (*a*). In ea igitur Liturgia hæc Sacerdos precatur inter μνησθητι, quæ in prima Canonis parte fiunt: *Memento Regum*

(*a*) *Histor. Bizant. to.* XI.

gum fidelium, apprehende arma, & scutum, & exurge in adjutorium eorum (a). Hæc formula, quæ omnium pene videtur Liturgicorum Ordinum Orientis, Orientalis Imperii conditionem satis testatam facit.

Johannis Evangelistæ Liturgia antiquior habetur Ordo Liturgicus, qui *S. Petri Principis Apostolorum* appellatur in Missali Romano-Chaldaico. In eo itaque inter eadem μυστηρίω Sacerdos, postquam Diaconus preces pro Rege, atque Regina populo indixerat, ita precatur: *Memento etiam Domine, illorum, & illarum, qui Regnum temporale obtinent fidelium, ut tam nos, quam illi tranquillam, & quietam vitam agamus in omni timore Dei, & castitate*. Hujus formulæ simplicitas maximo nobis argumento est vetustatis hujus Liturgiæ. Preces autem in omni Oriente tum pro Rege, tum pro Regina fiebant. Id unum hanc inter, atque ceteras Orientales Liturgias interest, quod illæ generatim, hæc singillatim *illorum*, atque *illarum* meminit. Animadvertendum enim est duas hasce voces *illorum*, atque *illarum* in Liturgico ordi-

 ne

(a) *Ap. Renaud. ibid. to. 11. p. 167.*

ne, mea quidem sententia, Dypticorum lectionem spectare, ex quibus Regis nomen atque Reginæ illud jam recitaverat Diaconus. Medio quippe ævo Dyptica quandoque Diaconus legisse, antequam fierent *Memento*, ex Typico S. Sabæ Goarius testatur. Liturgicis etiam Latinæ Ecclesiæ codicibus mea quodammodo nititur conjectura: in iis siquidem Sacramentariis Sæculo IX. antiquioribus passim eo loci, ubi vel Principis, vel Pontificis nomen dicendum est, prostat vocula *il.*, vel *ill.*; cujus tandem locum post Sæculum X. obtinuit sigla *N.*, quam etiamnum legimus in nostris Missalibus (IX). Nostræ etiam accedit conjecturæ Me-

(IX) Novi Menardum in Commentariis ad Sacramentarium Gregorianum (*Nota* CMXCVII.) testari, ex iis codicibus, qui præ manibus ei fuere, colligendum esse, Liturgicos ordines, in quibus prostat vocula illa *Il.*, vel *Ill.*, decimo Sæculo antiquiores esse. Verum neque Menardus ipse, neque ceteri, qui animadverterunt hoc ætatis discrimen inter Siglam *Ill.*, & *N.*, quæ post IX. Sæculum invaluit, quænam fuerit huic novitati occasio, vel conjecturis augurari conati sunt. Hoc sane argumentum, etsi fusiori calamo tractandum mihi sit in primo tomo Historiæ Codicum Liturgicorum Ecclesiæ Latinæ; heic nihilominus illud delibandi, prætereunda non est occasio. In antiquis sane Græcorum Liturgiis illa plerumque αυτων, ϗ αυτων leguntur, in precum formulis, quæ

Menardi ſententia ; Is enim teſtatur voculam puncto notatam *Ill.* primum omnium obtinuiſſe in antiquioribus Gallicanæ Liturgiæ Codicibus: At Gallicana Liturgia e Græcorum illa ortum habuiſſe, ſequenti paragrapho oſtendemus ; hinc vel magis liquet e Græcis Liturgiis voculam *Ill.* ad Liturgicos Latinorum ordines promanaſ-

quæ pro Principibus fiebant, eo quod id genus preces ipſi Dypticorum lectioni ſequebantur; hinc cum ex Dypticis Diaconus recitaviſſet Regis, atque Reginæ, nomen, ſatis erat in ea, quæ continuo ſequebatur, formula, *meminere illorum αυτων*. Id & Latini a Græcis derivarunt. Cum enim Latini poſt Dypticorum lectionem preces agerent, ſupervacaneum erat nomen Principis, e Dypticis jam recitatum, repetere, adeoque ſatis habuerunt dicere: *Memento illius*. Hinc in antiquis Codicibus proſtat *Il.* vel *Ill.* Cum autem, ut diximus §. VI., ad IX. uſque Sæculum Dypticorum lectio inter Latinos ſteterit, ad eamdem pariter ætatem vox illa puncto notata ſtetit: *Ill.*; eo quod adhuc nomen Principis in ipſamet prece non recitabatur. Verum obſoleta tandem Dypticorum lectione, poſt IX. Sæculum nomen Principis in ipſamet precis formula recitari cœpit, adeoque notæ *Ill.* ſubrogata eſt Sigla *N.*, quæ indicat : *Nomen*, ut nimirum animadverteret Sacerdos, *Nomen* Regis eo loci recitandum eſſe. Ex his itaque duo ſequuntur. I. Reipſa codices, qui notas *Ill.* habent, antiquiores eſſe Sæculo X. II. Hujus mutationis rationem perſpectam eſſe, cum primo *Ill.* non Sigla, ſed vox revera proferenda (*Illius*) eſſet, deinde *N.* ſigla fuerit, eo appoſita, quo loci Regis *Nomen* recitandum erat.

naſſe ; atque iccirco Latini: *Memento Illius* , perinde ac Græci *μνησθητι αυτου*, vel *αυτων* dixiſſe .

.Penes omnes Jacobitas tum Syros, tum Alexandrinos celebris eſt Liturgia *S.Petri Secundi*. Hanc autem *Petri Secundi* fortaſſis appellarunt illi, ut diſcriminarent ab ea, quæ *Principis Apoſtolorum* nomen præſeferebat. Nequit enim reipſa tribui Petro II. Alexandriæ Patriarchæ, qui Athanaſio ſucceſſit, atque Anno CCCLXXX. obiit, cum iſthæc Liturgia medii ævi characterem dilucide oſtentet. Hinc Reneaudotio, aliiſque probabilius videtur, Liturgiæ auctorem eſſe vel Petrum Apamenſem e Jacobiticæ ſectæ Doctoribus unum, vel Petrum Gnaphæum inter illos maxime clarum. Verum pura puta hæc eſt conjectura, cui forte ipſamet Liturgia ne minimum quidem favet ; ſiquidem illa quovis caret errore, neque ullum habet Monophyſitarum dogmatum veſtigium. Qui enim fieri potuit, ut vel Petrus Apamenſis, vel Petrus Gnaphæus acerrimi Monophyſitarum patroni Liturgiam ſcripſerint, neque vel verbulo uno illam commacularint? Id quod in antiquioribus etiam Liturgiis a Jacobitis factum, ipſe-met

met adnotavit Reneaudotius . Itaque ſub judice adhuc manet , quiſnam habendus hujus Liturgiæ auctor . In ea igitur inter μνησθητι Sacerdos dicit : *Memento Domine Regum Fidelium*, & *immitte in cordibus eorum conſilia pacifica* (*a*) .

Quot quot itaque ſunt Jacobitarum Liturgiæ (ſingulas enim duodetriginta illorum Liturgias expendere, ſupervacaneum plane videtur) precis pro Principe formulas habent, ne exceptis etiam illis, quæ ab auctoribus , vel inſtauratoribus ſectæ Monophyſitarum exaratæ fuere . Tres ſiquidem eos inter magni habentur Liturgiæ , una nimirum Jacobi Bardæi , altera Severi , tertia Moyſis Barcephæ . Ea porro Jacobi Bardæi , ſive Baradæi potiſſimum tenet locum penes Alexandrinos Jacobitas ; Jacobus enim is eſt , a quo Dioſcoritanis , ſive Eutychianis Jacobitarum nomen inditum eſt (*b*) . Secundo venit Severi illa: hic enim e monacho Alexandrinum Patriarchatum , Anaſtaſio Imperatore , occupavit , qui cum in monaſterio verſaretur, Jacobi Baradæi magiſter

(*a*) *Ap. Reneaud. Ib. to.* II. *p.* 157.
(*b*) *Vide Niceph. Hiſt. Eccl. L.* XVIII. *c.* LII.

ſter fuit. Tertia tandem Liturgia præ aliis utuntur Jacobitæ, qui Syriam incolunt, cujus auctorem & gente Syrum fuisſe, ipſummet patefacit nomen. Is quippe eſt ſcriptor Libri de *Paradiſo*, qui proſtat in Bibliotheca Patrum. De ejus autem ætate nil certi affirmari poteſt, cum ex laudato opere *de Paradiſo* id unum certo ſequatur, illum nimirum floruiſſe poſt Jacobum Edeſſenum, cujus teſtimonia laudat, atque ante Barſalibium, a quo & ipſe laudatur in Commentario ad quatuor Evangelia. Quare neque Sæculo x. antiquiorem, neque xii. recentiorem illum habemus; adeoque Binium, atque Poſſevinum in definienda Moyſis epocha longe falſos eſſe, ſatis liquet. In his itaque tribus Liturgiis, ut dictum eſt, preces de more, ſive *Memento* pro Regibus leguntur; id quod demirabitur certe quis quis noverit Jacobitarum indolem: neminem porro latet, Jacobitas eo odiſſe Imperatorem, quippe qui Concilii Chalcedonenſis leges tuebatur, ut catholicos ipſos *Melchitas* appellarint, quaſi dicas *Regios* a Syriaca voce *Melchi Rex*. At tanta erat, atque tam antiqua indoles Liturgicæ precis pro Principe, ut nuſquam illi auſi

aufi fint potiffimam hanc Apoftolicæ Liturgiæ partem ab iis etiam demere, quos ipfi fcripferunt, Liturgicis Ordinibus.

Præter Alexandrinas nonnullæ aliæ obtinent Liturgiæ in ceteris Orientis Ecclefiis. Eas inter principem ferme locum Liturgiæ Dionyfii Barfalibii tribuerunt Chriftiani, qui veterem Mefopotamiam inhabitant. Barfalibius enim ad Sæculum XII. Amidæ Epifcopus fuit cum metropoliticis juribus; Amida enim, deinde appellata Caramis, five Kara-Amid (*nigra Amida*), metropolis fuit Provinciæ Diarbekir, quæ partem majorem veteris Mefopotamiæ complectitur, tefte Abulfeda Arabo Geographo. In ea itaque Liturgia, quam fuis tradidit Ecclefiis Dionyfius, fingulari *Memento* pro Regibus fic precatur Sacerdos: *Memento, Domine, Regum fidelium, qui Ecclefiam tuam Sanctam adjuvant, & populo tuo fideli benefaciunt*. Ejufmodi Liturgia hodiedum utuntur Chriftiani Armeni, qui Pamphiliam, totam fere Ciliciam, Pifidiam, atque Cappadociam incolunt. Singularis autem ea eft Liturgia in eo, quod precem pro Rege intereft; nam videtur data opera Dionyfius noluiffe pro Muhameda-

nis

nis Regibus, cui tunc Cilicia parebat; Ecclesiam precari. Id sane alienum ab antiquæ Ecclesiæ institutis fuisse satis abunde docuimus; quare parcendum minime erit novitati, quam ille in Liturgica re induxit, cum reliquæ Orientis Ecclesiæ pro eisdem Principibus in Liturgia precari antiquum habuerint.

Nonnullæ etiam Orientis Ecclesiæ utuntur Liturgia *S. Johannis Patriarchæ*, vulgo *Acæmetæ*, vel quod ex Acæmetis Monachis fuit, vel quod Acæmetarum instar vivebat. Alibi obtinet & Liturgia Abulfaragii Scriptoris Sæculi XIII., qui inter Græcos dicitur *Gregorius Catholicus*. In utraque Liturgia orationem illam pro Rege legimus, quæ cum utrobique una eademque sit, in eo dumtaxat prima, ab altera differt, quod illa repetitos habeat *Kyrie*, quæ a populo recitantur, absoluta a Sacerdote formula precis. Duobus hisce Liturgiis adcensendam ducimus & illam Philoxeni Episcopi Jeropolitani, quæ illis plane congruit in oratione pro Regibus. Disputatum est inter eruditos de Philoxeno hujus Liturgiæ auctore, qui aliquibus celebris ille Monophysitarum doctor, Imperatoribus Leone, atque Anastasio, visus

ſus eſt, quorum ſententiæ, qui indolem hujus Liturgiæ vel parum expenderit, minime accedet. Conſule Auctorem libri *de Fide Patrum*, qui Philoxeno Liturgiæ auctori inveniendo deſudat, ac forte operam abutitur.

Inter Græcorum medii, atque forte noviſſimi ævi Liturgias *S. Jacobi Minoris* illam refert Reneaudotius. Prolixior olim penes illos obtinuit Liturgia S. Jacobi nomine. Hanc contraxiſſe Dionyſium quemdam *Catholicum*, certe Græcorum Patriarcham (quibus frequens eſt *Catholici* nomen) Sæculo XVI., docet ille: codex enim hujus Liturgiæ, qui habetur in Bibliotheca Colbertina, ea notatur epocha Seleucidum, quæ reſpondet Æræ Chriſtianæ anno MDXCI. Poſt alterum *Memento* hujus Liturgiæ, hæc legimus: *Memento Domine Regum, & Reginarum, qui veram Relligionem profitentur: auxilium illis da per armaturam ſpiritus: Omnes, qui illos oderunt, ſubijce illis, ut nos tranquillam vitam degamus*. Verum quin epocha Codici appicta, movet me magis precis hujus indoles, quam ſi cum illis, quas in medii ævi Græcorum Liturgiis legimus, conferamus, nemo non videt ſcri-

ptam

ptam fuiſſe, dum adhuc ſtaret Græcorum Imperium, quod forte prælio jam laceſſire cœperant Arabes, cum Eccleſia Principibus auxilium, ut iiſque hoſtes, atque inimicos, *qui illos oderant*, ſubijceret, a Deo precaretur. Hæc profecto Liturgica oratio parum, vel ne parum quidem convenit Orientis conditioni Sæculi XVI. Hæc ſatis erit dixiſſe; ſi enim e potiſſimo defle&i argumento liceret, noſtram dilucidius tueremur ſententiam, atque rationem ſignatæ Seleucidum epochæ in codice illo perſcrutaremur non vulgari equidem argumento, quod cur prætergreſſus ſit Cl. Reneaudotius ſatis intelligi nequit.

Cilices etiam Chriſtiani, perinde ac Armeni, qui Ciliciam incolunt, Liturgia *S. Marutæ* uſi ſunt olim, qua nunc utuntur Jacobitæ, quare inter Jacobiticas illam recenſivit Abrahamus Echellenſis. At quanam de re huic Liturgiæ, quæ medium certe ævum minime prætergreditur, S. Marutæ nomen obtigerit, neque conjecturis augurari facile erit. In illa itaque Liturgia Sacerdos Canonis preces proſecutus, hæc dicit: *Commemoramus quoque, Domine, Reges Chriſtianos, ut per virtutem tuam inſuperabilem roborati, terribiles apa-*

pareant adversus inimicos Crucis (*a*). *Inimici Crucis* proculdubio Arabes dicuntur.

Præcedenti autem antiquior est illa, quam *Liturgiam Nestorii* nuncuparunt Syri, qui Nestorianam hæresim profitentur. Apud illos dicitur: *Tertia Liturgia*, eamque inter alias magni faciunt, atque in solemnioribus Anni diebus adhibent, ut testantur tum laudatus Abrahamus Echellensis, tum Syrus ille scriptor Hebdejesu. In ea porro Sacerdos, canonem exorsus, ait: *Oramus te Domine & pro omnibus Regibus fidelibus, & pro stabilitate Regni illorum, & pro omnibus Principibus, & Potestatibus hujus Sæculi*. Quamquam Nestorio, cujus præsefert nomen, hanc minime vindicandam esse Liturgiam censeamus, antiquam nihilominus esse, precis ipsiusmet indoles abunde docet. Ejus forte auctor aliquis Nestorianorum *Catholicus*, ut ipsi ajunt, nimirum Patriarcha fuit. Is enim Antiocheni nomen usurpat, etsi aliquando *Damasceni* titulo utatur, eo quod, eversa Antiochia, Damasco sedem habuit.

Inter Syros autem Christianos Maro-

 nitæ

(*a*) *Prostat in Missal. Maronit. Edit. Romæ*.

nitæ censentur, qui Libanum montem inhabitant. Hi præter Liturgiam S. Marutæ, de qua edisseruimus, alia etiam utuntur Liturgia, quæ dicitur *S. Xisti Papæ Romani*. Quidquid autem sibi velit titulus iste, certe apocriphus, ex eo nonnisi antiquam Maronitarum erga Romanam Ecclesiam devotionem deducimus. In illa itaque postquam Sacerdos Sacra Elementa consecravit, Diacono dicente: *Iterum commemoramus omnes Reges fideles*, Sacerdos hæc precatur: *Esto, Domine, murus fortitudinis omni Civitati, Regioni, & Regno eorum, qui secundum fidem rectam in te credunt, & ad te confugiunt*. Hanc orationem tertio repetit Sacerdos. De hujus Liturgiæ ætate supervacaneum esset disputare, cum novissimæ ætatis characterem ipsamet precis hujus formula aperte præseferat.

Abyssini, ii nimirum Christiani, qui Æthiopiam incolunt, atque Urbanum VIII. Summum Pontificem velut Ecclesiæ Primatem observarunt, antiquam habent Liturgiam, eo titulo: *Canon universæ Liturgiæ*. Hic autem Liturgicus Ordo aliquibus a Græcorum, Jacobitarum, aliorumque Orientalium illis discedit; tres enim

enim habet orationes, quæ *Absolutiones* in eo appellantur, quarum unaquæque singulis Sacrosanctæ Triadis Personis inscribitur. In altera itaque, quæ *Absolutio ad Filium* dicitur, legimus: *Memento, Domine, Regum Æthiopiæ Abraha, & Abzeah, Caleb, Gabra-Maskal, Constantini, Fressenai, Dagna-Michael, Navui-Chrestos, Degla-Sion, Hammada-Sion, David, Theodori, Isaaci, Andreæ, Hammad-Jesu, Zara-Jacob, Bacde-Mariam, Alexandri, Hammada-Sion, Naod, Leban-Diaghil.* Vetustatem hujus Liturgiæ ipsamet Regum Æthiopum nomina testatam faciunt: quamquam enim Æthiopum historia imis vetustatis latebris delitescentem illustrare ausus sit nemo, postquam solertissimus Baltassar Tzellius operi manum admovit, certe nihilominus scimus, Abraha, atque Abzeah Reges Athanasio Alexandriæ Episcopo suppares fuisse. Athanasius enim Frumentium Episcopum creavit, & in Aethiopiam misit, qui Aethiopes Christianam Relligionem primus edocuit. Hinc colligimus precem hanc ex ipsismet Dypticis in Canone Liturgiæ irrepsisse, adeoque ipsammet Liturgiam valde antiquam putamus, cum

O 2 inte-

integra adhuc in illa ſervetur nominum *Monopotamnrum*, ut ajunt, commemoratio; in aliis enim, quæ in medium protulimus, Orientalis Eccleſiæ Liturgiis antiqua commemoratio plane deſideratur. Hac animadvertendum Liturgia & Aethiopes Jacobitas uſos eſſe, cum Jacobitarum ſecta in Ethiopia radices longe lateque egerit, eo ut ipſimet Reges illis adheſerint; eos enim inter, quorum in Canone memoria fit, præter duos priores illos, ceteri Jacobitæ fuerunt uſque ad Telka-Haimanot, qui Cœnobitarum Auctor Aethiopis fuit. Vide laudatum Tzellium.

Tandem præter eas Liturgias, quibus utuntur Chriſtiani Arabiæ incolæ e Neſtorianorum, atque Jacobitarum ſectis; alia habetur Liturgia, quæ propria eſt Arabum Melchitarum, quo nomine veniunt Catholici Arabi, qui Montem Oreb, Ora Maris Rubri, deſerta Arabiæ Petreæ, atque Deſertæ, aliaque oppida Arabiæ Felicis incolunt, atque Calogeri Ordinis S. Baſilii, Monaſterii S. Catherinæ, quod eſt ad Sinai Montis radices. Iſthæc Liturgia, quæ medii ævi videtur, illum præſefert titulum: *Euchologium Arabicum*, quod pri-

primo editum fuit Fano Fortunæ Anno MDXIV. In eo autem formula precis pro Principibus ita se habet: *Reges nostros instrue armatura tua cœlesti, & da illis victoriam de illorum hostibus.*

Numquam autem huic paragrapho finem facerem, si singulas, quibus reliquæ Orientis Ecclesiæ utuntur, Liturgias recenserem, earumque id genus precis formulas in medium afferrem. Satis enim habemus celebriores protulisse, ex quibus facili negotio perspiciemus, in id unum omnes consensisse Græcorum omnium, Syrorum, Aethiopum, atque Arabum Ecclesias, ut Liturgicas preces pro Principe ubique fierent. Nisi enim altissimum Apostolica ipsamet traditio jecisset hujus precis fundamentum, qui fieri poterat, ut sarta tecta ubique Ecclesiarum stetisset illa in Oriente, quò dum exarsit Arabum bellum, perpetuis vicissitudinibus Divina, humanaque omnia obnoxia fuere? Viguit nihilominus Apostolici, Divini nimirum, præcepti vis, cum, stante inter Orientales Ecclesia, nusquam potissimi hujus Liturgiæ membri jactura pertimescenda esset.

Antequam extremam manum huic pa-

ragrapho imponamus, nonnulla, quæ lectori moras nectere forsan possent, enodare oportet. Qui enim, amabo, dicet quis, Jacobitæ, Nestoriani, Armeni, Melchitæ in Liturgia pro *Regibus fidelibus* precantur, cum Muhamedanis pareant Imperatoribus? Antiqua illos adhuc uti prece, quam ne verbis quidem immutare maluerint, ut ut mutaverit Imperii conditio, nonnulli opinati sunt. Id profecto, cum de Græcis, aliisque Armenis, qui sub Muhamedano degunt imperio, sermo erit, dubitat nemo; siquidem hi vetustam retinuere precis formulam, ac forte hodiedum, cum formulas illas recitant, animo intendunt Christianos Principes, quos profecto Orthodoxorum, Christi-Amantium epitheton decet.

At hæc eadem sententia Jacobitarum, Nestorianorum, Æthiopum Ecclesiasticæ Politiæ minime quadrat. Jacobitæ siquidem in duo scinduntur; eorum alii Antiocheno, alii Alexandrino parent Patriarchæ. Illi, perinde atque de Græcis arbitrati sumus, vel antiqua adhuc utuntur prece, vel, quod vero similius mihi videtur, pro omnibus Christiani Orbis Regibus precari animo intendunt, cum inde-

indefinita quodammodo sit Liturgicæ illorum precis formula. At Alexandrini Patriarchatus hi pro Rege, qui & Jacobiticæ Sectæ nomen dedit, precantur. Ejusmodi est superioris, atque inferioris Aetiophiæ Imperator, qui Nubiæ, atque Barygasæ Rex dicitur, ab Aethiopis *Monopotamus* appellatus. Cùm enim Arabes Ægypto potiti sunt, jam tum Æthiopiæ Imperatores Jacobitarum partes sectati sunt, ac totius Imperii Patriarchalia jura ipsimet Alexandrino Jacobitarum Patriarchæ ultro concessere. Hujus historiæ monumenta habes apud Abusselam, qui Armenæ gentis historiam scripsit.

Ita & Nestoriani proprium Principem Liturgicis eorum precibus spectant. Nestoriani enim cum Katajanis, sive Kytainis Christianæ Relligionis auctores fuerint, Catajæ Principem, vulgo *Gran-Cam*, veluti proprium colunt Regem, atque Relligionis Patronum; quamobrem illi Orthodoxi, Christi-amantis, aliaque id genus epitheta tribuere non verentur. Inter Catajæ Imperatores Ungkanus ille (is Pretejannus Tenduk Rex aliquibus est), qui a Ginghizkano, Mogolis Imperii Conditore, vita, atque Regno spoliatus fuit,

primus fuisse videtur Nestorianorum Patronus; qua de re persuasum Reneaudotio est, ab Ungkani regno Nestorianos pro Catajanis Imperatoribus precatos fuisse in Liturgia.

Inter Græcos, qui Europeas regiones incolunt, quinquies Liturgicæ preces pro Rege fiunt, quam disciplinam omnes Græci nostro sectantur ævo. Bis enim pro Rege precantur inter orationes, quas Sacerdos recitat, cum ad Sacrum faciendum se comparat, quod Græcis est εις προθεσιν; ad *minus* enim, ut ipsi ajunt, *Altare* accedunt, antequam Liturgiæ initium faciant. Tertio pro illo precantur *in ingressu Evangelii*, antequam Evangelium legatur. Quarto *post magnum ingressum*, quem Consecratio sequitur. Ac tandem *in absolutione*, qua explicit nimirum Liturgia. Cum autem hæ recitandæ sunt preces, Diaconus ita populum hortatur: στηριξομεν τοις βασιλεις, h. e. *fulciamus Reges*, *a* το στηριζω *confirmo*, *fulcio*; unde a Græcis apud Suidam στηριγμα appellatur quicquid hominem *sustentat*, atque *alit*. Hæc porro phrasis, qua mente Ecclesia his studeat precibus, satis testatum facit; illas siquidem habet velut στηριγματα *fulcimenta*, quibus Prin-

Princeps ſuſtentatur, quibus ejus firmatur vis, quibus & ipſa ſtat Regni, Reipublicæque tranquillitas. Nam a Deo O.M., a quo bona omnia in homines fluunt, Eccleſia Principi pacem, tranquillitatem, Vitam, Sanitatem, quæ fulcimenta ſunt Regni, precatur, quamobrem recte ipſas preces *fulcimenta Regis* appellavit illa.

Hæc habui, quæ dicerem, de Orientalium Eccleſiarum publica prece pro Principe, quæ potiſſimum Apoſtolicæ traditionis argumentum in re noſtra dilucide oſtendunt: ſiquidem quot quot ſunt, vel fuere Græcorum, Æthiopum, Arabum, aliorumque Orientalium omnium Eccleſiæ nuſquam Sacrum perfecerunt, numquam Divini cultus officiis vacarunt, quin pro Principe vota Deo offerrent. De Americanis, aliiſque noviſſime detecti Orbis Eccleſiis dicere, ſupervacaneum duxi, cum Eccleſiæ, quas illuc Hiſpani, Luſitani, atque Galli excitarunt, Romanam cum Relligione ipſa amplexæ ſint Liturgiam.

§. X.

§. X.

Monumenta Precis pro Principe Liturgiarum Occidentalium exponuntur.

AB Orientis Ecclesiis ad Occidentis illas gradum faciamus. In Occidente, ut Orientales inter, Liturgicorum Ordinum numerus haud ita excrevit. Quatuor sane principes Ecclesiæ totidem habuere Liturgias, quibus Latini omnes usi sunt, Romanam nimirum, Gallicanam, Hispanam, atque Ambrosianam. *Romana* apud illas obtinuit Gentes, vel quæ Romani Patriarchatus terminis continebantur, vel quibus Romanus Pontifex Relligionis Christianæ auctor fuerat. *Gallicana* usæ sunt Gallorum, Germanorum, ac Brittanicorum Ecclesiæ. *Hispana*, qui Hispaniæ Provincias incolebant. Ac tandem Mediolanensis Ecclesia, perinde atque Bononiensis, quæ Mediolanensis suffraganea erat, *Ambrosianam* adhibuerunt Liturgiam. Satis superque hanc Occidentalium Ecclesiarum disciplinam, de qua nobis sermo est, docent Latini Patres, quorum testimonia in medium jam attulimus. Verum quantam huic eodem argu-

gumento ipſimet Liturgici Ordines lucem affundunt, nemo non videt; qua de re illos ſingillatim ad trutinam revocare ſtudui, ut Sanctiſſimæ diſciplinæ, quod tractamus, caput omnibus numeris abſolutiſſimum tradamus.

Romanam Eccleſiam a Petro, a quo condita fuit, Liturgiam accepiſſe, ambiguum non eſt. Simpliciſſima profecto, atque brevior illa fuit, pro ut tunc Eccleſiæ conditio erat: nimium enim Divinis officiis obeundis ſimul immorari Chriſtianos, non ſinebat Imperatorum in eos ſævientium immanitas. Qui itaque Petro in ſumma Romana Cathedra ſucceſſere, ſenſim pro re nata Liturgiæ novos ritus addidere; cum id tamen, quod rem ipſam Sacram ſuapte natura intererat, a Petro plane traditum fuiſſe, nemo inficias ibit. Antiquiſſimæ illius, atque, ut ita dicam, nativæ Liturgiæ monumenta nulla ſuperſunt, nam præterquamquod in dies aucta fuit illa, literis olim, tribus nimirum primis Aeræ Chriſtianæ Sæculis, Epiſcopos Liturgiam non tradidiſſe perſuaſum mihi eſt, de quo inter Clariſſimos Literariæ Reipublicæ viros conve-

nit.

nit (*a*). Maximo enim ſtudio Epiſcopi ſatagebant arcanæ Relligionis myſterium ſervare, ne ſi ſcriptis Liturgici ordinis methodus conſignaretur, paganorum forte oculis Sancta paterent. Hinc procul dubio ſequitur, traditione quadam Liturgiam ab uno ad alterum Epiſcopum, ab una ad alteram Eccleſiam perveniſſe, eo ut cum Epiſcoporum aliquis novum crearet Epiſcopum, qui gentes Relligionem Chriſtianam recens amplexas moderaretur, eum Liturgicum ordinem edocebat. Hinc haud dubie ſequitur, tribus illis, ac forte quarto etiam Sæculo unam, eamdemque, Romanam nimirum, ubique Eccleſiarum in Occidente fuiſſe Liturgiam. Romanam ſiquidem Eccleſiam ceteris Latinorum illis Fidei parentem fuiſſe, dilucidius teſtantur Innocentius I., atque Gregorius I. Romani Pontifices, præter innumera genuina hiſtoriæ monumenta. Ab ea itaque novæ quot quot in dies exci-

(*a*) *Vide Euſebium Reneaud. Diſſert.* I. *in Coll. Liturg. Orient. to.* I. *p.* XVII. *Edit. Paris, Bingham. Origin. Eccleſ. to.* V. *Libro* XIII. *c.* V. *p.* 116. *Edit. Magdeb., Johann. Dallæ. de cultu Relig. Lib.* I. *&* II. *c.* XXV. *p.* 179. *Edit. Lond.*

excitatæ fuere Christiani nominis Ecclesiæ, Liturgica officia mutuatæ sunt. Id quod satis abunde testatur antiquorum illius ætatis Episcoporum mos, qui nil antiquius Romani Pontificis sententia habuerunt in iis præsertim negotiis, quæ Divini cultus disciplinam spectabant, quem, si quandoque de re Liturgica in dubium versati sunt, consuluisse, antiqua Historia nos docet. Si itaque eadem Latinis omnibus fuit tunc Liturgia, quam Romanæ Apostolus Petrus tradiderat Ecclesiæ, cuinam dubium erit, inter omnes omnino Latinos primis illis Sæculis precem Liturgicam pro Principe obtinuisse? Nam etsi neque Tertulliani, neque Cypriani, aliorumque Latinorum illius ævi Scriptorum testimonia id nos docerent, satis argumento mihi esset Apostolum Romæ Liturgiam tradidisse, adeoque in illa precem pro Principe fuisse; nam cum eam Latinorum omnium docuerit Ecclesias, omnibus eamdem fuisse Liturgicam precem sponte sequitur. Quod si Episcopi jam tum pro temporis, locorum, atque gentium indole Liturgiam composuisse dicamus, in eo dumtaxat, quod ritus, atque formularum diversitatem intererat,

Ec-

Ecclesias secum inter discrepasse, fatendum erit, cum illæ ubique gentium sarta tectaque ea custodirent, quæ nativæ Liturgiæ partes secumferebant. Id genus profecto erat illa Liturgiæ pars, qua precatio pro Rege continebatur; nam cum illam Ecclesiæ Apostolus, Divinam veluti legem, tradiderit, ut luculentissimis argumentis demonstravimus, præcipuam Liturgiæ partem ubique gentium, quas inter obtinuere Sacri Cultus officia, precem pro Regibus fuisse dubium non erit. Hinc quemadmodum una eademque re ipsa erat Orientalium, perinde atque Occiduorum Liturgiæ indoles, atque natura, ita & eadem bona Principi a Deo precata est Ecclesia tum hos, tum illos inter. Quamobrem etsi antiquiora Romanæ Liturgiæ monumenta desiderentur, ipsa tamen ratio suadet, ab Ecclesia condita Romanam Liturgiam præcipua illa prece minime caruisse. At Romanæ, ut dictum est, Ecclesiæ, cui Occidentis reliquæ fere omnes Relligionem Christianam acceptam rettulere, Liturgia ceteras Latinorum pervasit Ecclesias. Primis itaque Sæculis quot quot Latinorum fuerunt Ecclesiæ in Liturgicis officiis pro Principe stu-

ſtudioſiſſime Deo vota obtulere. Hæc dixiſſe ſatis erit de Romanæ Eccleſiæ vetuſtiſſima illa Liturgia, ſequenti etenim paragrapho fuſius ejusdem Eccleſiæ Liturgicam hiſtoriam enarrabimus.

De Hiſpana Liturgia ſi, pro ut erat tum, cum gens illa Chriſtianæ Relligioni nomen dedit, ediſſerendum nobis eſſet, difficile profecto iter prætentaremus, cum ne vola, neque veſtigium antiquæ illius Liturgiæ ſuperſit. At ubi monumenta deficiunt, ipſamet hiſtoriæ ratio ſupplet: vel namque Romana Eccleſia Hiſpanæ genti Chriſtianæ fidei magiſtra fuit, adeoque cum Hiſpana Eccleſia a Romana Liturgica inſtituta acceperit, utramque Eccleſiam in prece pro Principe conveniſſe, proculdubio dicemus. Vel Hiſpanos S. Jacobus Chriſti Relligionem primus edocuit, quod hiſtoriæ magis conſentaneum mihi viſum eſt, poſtquam legi abſolutiſſimam Diſſertationem Cl., eruditiſſimique viri Benedicti Clementis Aroſtegui, qui rem acu tetigiſſe fatendum eſt. Quod vel noſtro redit argumento; quam enim Apoſtolus Paullus univerſæ Eccleſiæ de Liturgica prece pro Principe tulerat, legem, & Jacobum Hiſpanis

pro-

profecto cum ipsismet fidei rudimentis tradidisse, inficiabitur nemo.

At Hispana Ecclesia peculiari quadam, atque propria deinceps usa est Liturgia, eaque *Musaraba* vulgo appellata fuit, quam illuc tum obtinuisse, cum nonnullis Hispaniæ Regnis Maurorum gens potiretur, certum, compertumque est. Christiani profecto, qui in iis, quæ Maurorum parebant Imperio, regionibus versabantur, *Mixti-Arabes* passim appellabantur, atque vitiata locutione *Muzarabes*, vel *Mosarabes*. Tum temporis enim Legionensium, atque Asturiarum dumtaxat Regno Mauros depellerant Alphonsus Froilæ filius, atque Ramirus Asturiarum Reges Sæculo VIII., atque IX. A Christianorum itaque, qui Maurorum imperio suberant, nomine, & Liturgiæ, qua ii utebantur, *Mozarabæ* nomen factum est. Immensæ quæstionis est, quisnam hujus Liturgiæ auctor fuerit. Nonnulli enim opinati sunt, Liturgico huic Ordini omnium primum manum admovisse S. Leandrum Hispalis Episcopum medio Sæculo VI., novos deinde addidisse ritus S. Isidorum illius fratrem, atque Cathedræ Hispalensis successorem, cum tandem extre-

tremam manum operi admovisse S. Ildephonsum Toletanum Episcopum, persuasum illis sit; etsi tractu temporum novi in dies accesserint de more eidem Liturgiæ ritus.

At illorum sententiæ accedere nequeam, quamquam quin laudati equidem Clarissimi Hispanæ Gentis Episcopi Liturgiam aliquando instaurarint, non dubito. Antiquior sane hæc mihi videtur Liturgia, quæ profecto ante S. Leandri ætatem inter Hispanas Ecclesias invaluerat. Ab Oriente, hanc illuc illatam esse Liturgiam, arbitratus est Cl. Cardinalis Tomasius, his ductus argumentis. Qui enim Gotthorum Historiam legit, procul dubio novit, Gotthorum Ecclesiam CPolitanæ obnoxiam fuisse, a qua gentis hujus Episcopus creabatur. Id equidem suo jam ævo testatur Chrysostomus, qui epistola XIV. ad Olympiadem Diaconissam scribit: *Urilam, quem non ita pridem ordinavi*, ον πρωην εχειροτονησα, *& in Gotthiam misi*: & paulo post de Diacono Ecclesiæ Gotthorum locutus, illum, ait, venisse, φερων γραμματα τυ Ρηγος των Γοτθων, αξιουντα πεμφθηναι αυτοις επισκοπον, *ferens literas Regis Gotthorum, quibus, ut ad eos Episcopus*

mit-

mittatur, *petit*. Hinc cum Gotthi proprio, qui objerat, carerent Episcopo, eorum Ecclesiam ipsemet Chrysostomus se gubernasse, testatur Epistola, Monachis Gotthis scripta, quæ inter illius epistolas numero CCVII. recensetur in Editione Montfauconii (*a*). Etenim Gotthorum alii Sæculo II. ad exitum vergente, Marco Aurelio Imperatore, sub Filiberto eorum Rege Vistulam transgressi, Ponti Euxini ora primum incoluere; quorum nonnullos, ob amplexam Christi Relligionem a suis inde deturbatos, in alia Orientis loca deduxit Constantinus Magnus. Quamobrem Constantinopolitanus Antistes in Ostrogotthos (hi sane, qui Orientales partes inhabitarunt Ostrogotthi, cum Wisigotthi appellarentur, qui ad Paludes Meotides constitere) Patriarchalia, atque Metropolitica jura exercuit; quæ eodem Chrysostomi ævo Ecclesiæ Constantinopolitanæ tribuerunt Concilii CPolitani I. Œcumenici Patres, atque Sæculo V. confirmarunt Chalcedonensis illi. Cum itaque, ut dictum est, unaquæque Ecclesia ea rei Liturgicæ instituta, quæ Patriar-

(*a*) *Tomo* III. *p.* 716. *Edit. Paris. Montfauc.*

triarchalis erant, ſequeretur; liquido patet, Gotthorum illam a Conſtantinopolitana, cui parebat, Liturgiam accepiſſe, proindeque Gotthos Orientali, ſive Græcæ Eccleſiæ Liturgia uſos eſſe. Ad hujus argumenti fidem accedit, Ulphilam Gotthorum Epiſcopum, omnium primum Rei Sacræ leges illis tuliſſe, cum Ulphilas & gente Græcus eſſet, & a Græcis Epiſcopis eruditus. Juvat heic Philoſtorgium, qui rem ex ordine narrat, audire. Hæc habet ille (a): *deinde vero cum (Gotthi) in Aſiam trajeciſſent, Galatiam, & Cappadociam invaſerunt; cumque plurimos homines captivos feciſſent, inter quos non pauci erant clerici, cum ingenti præda in Patriam reverſi ſunt; captivi igitur, ac pii homines iſti, barbaris permixti, non paucos eorum ad veram pietatem traduxerunt . . . . Ex horum captivorum numero fuerunt etiam* οι ουλφιλα προτογωνοι, Καππαδοκιας μην γενος *majores Ulphilæ, gente quidem Cappadoces, orti juxta urbem Parnaſum . . . . Hic igitur Ulphila primus eorum Epiſcopus fuit conſtitutus. Cum enim legatus*

(a) *Hiſtor. Eccl. L. II. num.* v. *p.* 480. *tom. III. Edit. Valeſ. Pariſ.*

tus una cum aliis ad Imperatorem Conſtantinum miſſus eſt . . . . ab Euſebio, aliiſque, qui cum illo erant, Epiſcopis ordinatus eſt Epiſcopus Chriſtianorum, qui apud Gotthos degebant. His autem Eccleſiaſtici cultus auctorem Ulphilam fuiſſe, poſtquam a Græcis eruditus fuit, ſcribit Sozomenus: *Gotthi enim*, ait ille (*a*), *in iis, quæ ad Relligionem pertinent, ejus magiſterio eruditi, & ad manſuetiorem cultum per eum traducti* ſunt (X). Ulphilam igitur, qua gente Orientalem, qua Liturgiam

(*a*) *Hiſt. Eccl. c.* XXXVII. *p.* 273. *Edit. Valeſ. t.* III. *Pariſ.*

(X) Ita Sozomenis textum interpretatur Valeſius, qui ſic illum legit: *κ͵ δι αυτȣ μεταсχοντες πολιτειας ημερωτερας*, h. e; *& per eum ad πολιτειας cultus ημερωτερας manſuetiores*, ab *ημερος manſuetus*. At hæc lectio integri textus ſententiæ ſatis quadrare non videtur, cum eo Sozomenus nonniſi de Relligionis rudimentis loquatur, haud equidem de *civili cultu* illius gentis. Nullibi enim vel Sozomenus, vel alii Hiſtoriographi, Ulphilam Gotthos urbanos mores docuiſſe ſcripſerunt. Quare de græci textus lectione in dubium veni; ſi enim pro *ημερωτερας*, una dempta ſillaba, quæ ab oſcitanti amanuenſe facili negotio ingeri potuit, legeretur *ημετερας*, ſententia magis certe conſtaret; nimirum: *& per eum* (Gotthi) *ad cultus noſtros traducti*. Cultus enim, ſive cultus Divini regulæ *noſtræ* a Sozomeno appellantur, cum Ulphila eamdem Liturgiam, quæ obtinebat inter Græcos, cujus gentis Sozomenus erat, Gotthis tradidiſſet.

giam a Græcis Episcopis edoctum; in Gotthos Græcanicam Liturgiam induxisse, historiæ ratio plane evincit. Gotthi autem Sæculi v. initio Hispaniam occuparunt; adeoque Orientalium ritus, quibus & ipsi utebantur, in Hispaniam intulerunt, eosque jam tum adhibuit Iberorum Ecclesia.

Hoc sane utitur argumento Cardinalis Tomasius in Tractatu Historico-Chronologico *de Liturgia antiqua Hispaniæ tom.* 1. operum c. 11. §. 111.; hinc lectorem hisce Tomasii conjecturis fraudari nolui, easque ad compendium redactas heic attuli. Verum quamquam eo magni fecerim tanti viri sententiam, ut in Itala hujus Dissertationis editione, ejus opinioni acquievisse videar; heic nihilominus fatear oportet, me malle Musarabæ Liturgiæ originem ignorare, quam id genus argumentis obsequi. Siquidem ubi pressius rem perpendamus, cum ipsamet Historia Tomasii conjectura pugnare videtur. Ac primo quidem duo animadvertenda sunt. I. Gotthos, qui Hispaniam invaserunt, e Wisigotthorum illis, haud ex Ostrogotthis fuisse. Id enim, præter innumera historiæ monumenta, di-

lucide nos docet Hieronymus, qui hæc de Galliarum direptione ſcribit in epiſtola ad Ageruchiam: *Innumerabiles, & ferociſſimæ Nationes univerſas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes, & Pireneorum eſt, quod Oceano, & Rheno includitur. Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Geruli, Saxones, Burgundiones, Alemani. Et o lugenda Reſpublica! hoſtes Pannonii vaſtaverunt*. Hi profecto Wiſigotthi erant, qui intra Occidentis terminos ſe ſe continuerunt, poſtquam e Scanuja diſceſſerant; iidemque ad annum CCCCIX. Hiſpaniam invaſerunt. Inter hos autem Orientales ritus obtinuiſſe, quæ Tomaſius protulit, argumenta nullimode probant; ſiquidem Chryſoſtomi, Philoſtorgii, atque Sozomeni teſtimonia de iis ſunt Gotthis, qui Aſiæ Provincias incolebant, ac præſertim ea loca, quæ Conſtantinus Gotthis, a Thracia, atque Getia expulſis, decreverat. Qua itaque ratione Gotthi Occidentales Orientalem, quam nuſquam didicerant, Liturgiam in Hiſpaniam introduxere? Forte Tomaſium fefellit Gotthorum adventus in Italiam, qui e Tracia diſceſſere, atque tandem, depopulatis nonnullis Orientis Pro-

Provinciis, Romam invaſerunt: Hi profectò ex Oſtrogotthis erant; atque eodem anno, quo Wiſigotthi Hiſpania potiti ſunt, Italiam venere, neque inde ad Hiſpaniam progreſſos eſſe apud Hiſtoricos legimus, cum ab Anno CCCLX. Oſtrogotthi magnas indixiſſent Wiſigotthis inimicitias, ac magnum eos inter exarſiſſet bellum, Fridigerne Wiſigotthorum, atque Athanarico Oſtrogotthorum Regibus. II. Gotthos, qui Hiſpania potiti ſunt, neque tum vel ipſam Chriſtianam Relligionem adhuc amplexos eſſe, laudatus Hieronymus mihi videtur luculentiſſime teſtari; epiſtolà porro Heliodoro data immanes, feroceſque Barbaræ illius gentis mores deſcribens, narrat, illos Virgines Sacras ludibrio habuiſſe, Epiſcopos, Presbyteros, ceteroſque Clericos interfeciſſe, Eccleſias vel exci-diſſe, vel eiſdem pro equorum ſtabulis uſos eſſe, ipſa Martyrum corpora effoſſa, atque disjecta ab illis fuiſſe, aliaque id genus innumera atrocioris genii monumenta, quæ deinde ſingillatim proſecutus eſt Victor Vitenſis in Hiſtoria Perſecutionis Vandalicæ. Hæc profectò Chriſtianos, ut ut hæreticos, feciſſe, cuinam perſuaſum erit? Num ne ſi Ariani

Gotthi erant, si Relligionem vel delibaverant, ea immanitate in Ecclesiam excanduissent? Eos scilicet, qui neque Templa, neque Episcopos, neque Virgines Deo Sacras reveriti sunt, Arianos, non autem Paganos fuisse, credat Judæus apella. Quod si Pagani erant, quamnam Liturgiam secum tulisse in Hispaniam, atque Galliam dicemus? Præterea cur, amabo, Liturgiæ, quam Gotthi ab Oriente in Hispaniam traduxere, *Musarabicæ* appellatio obtigit? Diximus, de quo sane cum ipso convenimus Thomasio, Liturgiam Hispanæ Ecclesiæ id nominis tulisse a Mauris, qui ea regione potiti erant. At Mauri Hispaniam occuparunt Sæculo VIII., tum scilicet cum hi, Gotthica gente illinc pulsa, Gotthis Hispaniarum Imperium præripuere. Compertum sane est Anno DCCXI. Julianum Cômitem, ut inlatam a Ruderico Hispano Rege ejus Sorori Clavæ vim ulcisceretur, Muzam Maurorum ducem ex Africa appellasse. Is autem Hispaniam cum Tareko ingressus est, atque profligatis Gotthis, eorumque everso imperio, Iberiacis Regnis Mauri tandem potiti sunt. Si enim Gotthi Liturgiam Hispanas Ecclesias docuissent, tum

cum

cum illis Arabes successerunt, antiqua stante Liturgia Christianos inter, qui Arabum imperio parebant, Liturgia illa *Gotthicæ* nomen tenuisset, cum nullimode nomen ab Arabis desumere posset, qua illorum imperio antiquor, qua a Gotthis illuc illata.

Ex his itaque certo liquet Musarabæ Liturgiæ denominationem Sæculo VIII. vetustiorem minime esse, cum ea ætate Mauri Hispaniam devicerint. Secundo: nusquam Gotthos hujus Liturgiæ auctores habendos esse. Tertio tandem: Musarabam Liturgiam ab Orientali non derivasse, cum Gotthi, qui Hispaniam occuparunt, non ex Oriente, sed ex Occidentalibus regionibus illuc commeaverint. Historiæ porro primo saltem in limine consentanea videri posset Tomasii sententia, si inductæ a Gotthis Liturgiæ epocham paullo post statuisset, ad annum nimirum ccccxc., in quo, Zenonis Imperatoris postulatu, Theodoricus Ostrogotthorum Rex bellum Septentrionalibus populis, qui nonnullis Europæ provinciis potiti erant, indixit, atque Ostrogotthorum Regnum in Europeas regiones statuit, devicto Odoacre. Verum bellum

hoc

hoc Italiam imprimis respicit, neque Theodoricum ex Hispania Wisigotthos deturbasse, quin & illis quandoque adfuisse, historia nos docet. Quamobrem recte dicemus, Ostrogotthos nusquam Hispaniam incoluisse. Hæc obiter dixi, cum nimium immorari criticis id genus argumentis, instituti ratio non patiatur. Verum de hoc argumento fusius edisseram in altero tomo Historiæ Codicum Liturgicorum. Id genus enim argumentum amicam deposcit manum, cum Gotthorum historia, eorumque ad Europeas Regiones accessus imis latebris eo delitescat, ut de ipsorum Gotthorum gente, eorumque origine longe disputatum sit inter eruditos, eamdemque litem adhuc sub judice quodammodo manere nos docuerit Cl. Cluerius in sua *Germania antiqua* libro III. capite XXXIV. Mihi autem, pro virili hoc historiæ caput illustranti, uti ab antiquiorum, ita & ab eruditissimi Scriptoris de Bos (a), atque Mascowii (b) sententia aliquibus discedendum erit, quamquam ma-

(a) In *Histoire Critique de la Monarchie Francoise* to. I. *p.* 258. *Edit. Paris.*
(b) *Mascow in Historia Germaniæ.*

maximi facienda sint illorum opera, quibus Europei Gotthorum Imperii historiam illustrarunt.

Ipsæmet tandem, quæ restant, Hispanæ Disciplinæ Leges dilucide evincunt, Gotthos in Hispaniam nullimode Liturgicum aliquem Ordinem introduxisse. Imperantibus enim Gotthis, in Hispania nullis adhuc legibus definitam esse Liturgicam rem, constat ex ipsis Conciliorum earum Regionum edictis. Passim enim in canonibus Concilii Eliberitani A.CCCV., Toletani I. A.CCCC., Valentini A.DXXIV., Bracharensis I. A.DLXIII., usque ad Toletanum IV. Anno DCXXIV., & Toletanum VI. A. DCXXXVIII. legimus, Hispanos Episcopos ad unitatem Liturgiæ in Hispanicis Ecclesiis stabiliendam desudasse; nam a quarto ad septimum Sæculum etsi canones conderent illi, quibus unam eamdemque ubique Hispaniarum Liturgiam esse juberent, nusquam nihilominus idem Liturgiæ constiterat ordo. Porro si stante Imperio Gotthorum, hujus gentis Reges, atque Episcopi propriam Liturgiam Hispanis tradidissent, uno eodemque ritu illos usque usos esse, non dubitarit quis quis novit politicam vim morum in re etiam Ecclesiastica, qui a victoribus in devictis Regnis statuuntur. In-

Infirmatis itaque Tomaſii conjecturis ; aperte quid de Hiſpanæ Liturgiæ origine ſentiam, fateor. Illuc profecto primo Liturgica condidiſſe inſtituta S. Jacobum dixi : at, ut omnium Eccleſiarum mos fuit, pro re nata primævæ Liturgiæ additum, demtumque eſt. Id & Hiſpanis evenerat, quos inter Liturgia, quæ & politicis Regni viciſſitudinibus plerumque obnoxia eſt, non bene conſtabat Sæculo VI. Quamobrem eodem ſæculo Profuturus Bracharenſis Epiſcopus Summum Romanæ Eccleſiæ Pontificem Vigilium cum de aliis, tum de re Liturgica conſuluit, qui data ei epiſtola Anno DXXXVIII., Profuturi quæſtionibus ſatisfecit, & cùm ad rituum interrogata ventum eſt, illum laudat, eo quod *ad eumdem*, verba ſunt Vigilii, *fontem, de quo illuc* (ad Hiſpanos) *ſalutaris manaverat lympha*, recurreret. Nam Romanam Eccleſiam etiam poſt Jacobi in Hiſpanias adventum, relligionem Hiſpanos inter inſtauraſſe, Hiſtoria nos docet. Tandem Vigilius Profuturo Codicem Romanæ Liturgiæ mittit, ſcribens: *Quapropter & ipſius Canonicæ Precis textum dreximus ſubter adjectum, quem Deo propitio*

ex

ex Apostolica traditione suscepimus (*a*). Jam tum itaque Hispana Ecclesia Romana Liturgia omnino uti cœpit. Id siquidem nedum unius Profuturi auctoritate factum est, sed Bracharensis tandem Concilii I. Patres eodem Sæculo illud decreverunt Capite IV. *Item placuit, ut eodem ordine Missæ celebrentur ab omnibus, quem Profuturus, quondam hujus Metropolitanæ Ecclesiæ Episcopus, ab ipsa Apostolicæ Sedis auctoritate suscepit scriptum*. Hinc liquet Romanam Liturgiam Sæculo VI. in Hispanæ gentis Ecclesia obtinuisse. At forte omnes statim illius regionis Ecclesias non pervasit illa; hinc tandem Sæculo VII. Toletani IV. Concilii Patres sanxerunt, Ordine illo omnibus omnino Hispaniæ, Gallitiæque Ecclesiis utendum esse: *Unus igitur ordo orandi, atque psallendi a nobis per omnem Hispaniam, atque Gallitiam conservetur, unus modus in Missarum solemnitatibus, unus in vespertinis officiis, nec diversa sit ultra in nobis Ecclesiastica consuetudo, quia in una Fide continemur, & Regno. Hoc enim, & antiqui*

(*a*) *Epist. Vigilii ap. Baluz. in supplem.* Concil. *Labb. p.* 1468. *Edit. Paris.*

tiqui canones decreverunt (intendunt certe & canonem Bracharenſem) , *ut unaquæque Provincia & pſallendi , & miniſtrandi parem conſuetudinem teneat*. Hoc autem canone Liturgica res firmas egit ubique Hiſpaniarum radices, eo ut poſtero tempore Epiſcopi in aliis , quas illuc habuerunt, Synodis nuſquam de Liturgiæ diverſitate queſiti ſint . Ea itaque Liturgia, qua uſa eſt Eccleſia Hiſpana a VI. Sæculo, neque Leandro, Iſidoro, atque Ildefonſo tribuenda eſt, quorum primus An. DLXXXIV., alter An. DXCV. ac tertius An. DLVII. floruit, adeoque Profuturo recentiores fuere , qui a Romana Eccleſia Anno DXXXVIII. Codicem Liturgiæ accepit, quem Hiſpanis tradidit Eccleſiis Synodus Bracharenſis I. A. DLXIII.. Neque illa ab Orientali originem traduxit, ſed a Romana . Eidem tandem Liturgiæ poſt VIII. Sæculum *Muſarabicæ* nomen fuit , quod idem tum audiebat , atque *Hiſpanæ*; *Muſarabes* ſiquidem, quot quot *Hiſpaniam* incolebant Chriſtiani, Maurorum Imperio ſubditi, appellabantur (XI).

Ex

(XI) In mea Codicum Liturgicorum Hiſtoria tomo II. tentamina novæ interpretationis hujus vocis *Muſarabes* in medium afferam : Mihi enim hæc vox ab

Ex ea autem, quæ Musarabæ titulum præsefert, Liturgia nil certi de illius origine expiscari licet. Duplex siquidem id nominis Liturgia habetur. Una in tomo XXVII. Bibliothecæ Patrum *Edit.* Parisiis *pag.* 467., quæ inscribitur; *Missa Musarabe D. Leandro usitata*. Altera titulo: *Ordo Divinorum Officiorum Gotthico Gallicanus*, prostat cum Cardinalis Francisci Ximenii vita ab Eugenio Roblesio Toleti edita. Hoc autem Liturgico Officio hodiedum opera atque studio Ximenii utuntur quinque e Parochiis Toleti Ecclesiæ, perinde ac Ecclesia ab eodem Cardinali extructa, atque Talabrigensis Cappella, quæ est Academiæ Salmaticensis illa. At de duobus hisce Liturgicis Ordinibus disputatum est inter eruditos, cum etsi Ximenius, vir ceteroqui solertissimus, ex antiquioribus, quæ præ manibus ei fuere, atque vetustiorum Hispaniæ Bibliothecarum manuscriptis Musarabam collegerit Liturgiam, antiquum attamen Musarabum Ordinem inve-

ab *Mos*, sive *Mus*, & *Arabes* coaluisse videtur. Antiqui enim Arabes *Mus* appellarunt *tributum*, & *Musah tributarium*. Hinc *Musarabes* facile appellatos esse Christianos, qui Arabis tributum, sive censum solvebant, puto.

venisse, sperari nequeat. Quemadmodum enim sequenti paragrapho dicemus, Hispana Ecclesia haud semel Musaraba se omnino abdicavit Liturgia, sed paullatim obsolevit illa, atque Romana sensim per partes obtinuit, quæ tandem, nonnisi Gregorio VII. Romano Pontifice, Hispaniam omnem plane pervasit. Hinc cùm Sæculo xv. Ximenius Liturgici Ordinis codices collegit, hi Musarabum ritum, pro ut erat ille, antequam cum Romano permisceretur, minime continuisse arbitramur. Quamobrem Musarabam re ipsa Liturgiam duo illi, quos diximus, Ordines non exhibent; sed eam forte, quæ ex antiqua Musaraba, atque novis, qui in dies accesserant, Romanis Ritibus coaluerat. Id profecto quis quis antiquæ Musarabæ Liturgiæ methodum, quam nos vetustiora Hispanæ Ecclesiæ monumenta docuere, noverit, aperte intelliget, cum in duobus laudatis Musarabis Ordinibus Psalmi, atque Lectiones habeantur, quas in antiquo illo Musarabum Ordine desiderari, Hispanicæ Liturgiæ testatur Historia. Hi aûtem novi ritus a Sæculo ix. Hispanas inter Ecclesias sensim invaluere: Quamquam enim, ut jam diximus, Hispanæ Ec-

Ecclesiæ Romana Liturgiam tradiderit Sæculo VI., attamen hæc ætatis progressu, ut Liturgicæ rei conditio ubique gentium fuit, peculiarem quamdam pro gentis indole methodum sensim eo suscepit, ut tandem X. Sæculo alia plane a Romanæ Ecclesiæ illa Hispanorum Liturgia evaserit; cum interea, ut demonstraturi sumus, neque etiam Romanæ pristinus constitisset ordo. Hinc ea demum ætate Romanæ Liturgiæ ritus alii erant ab Hispanæ illis, adeoque Hispani, qui Romanam Liturgiam imitari aliqua ratione studebant, novos ritus propriæ Ecclesiæ Liturgiis ingessere. Unde illi ad XI. Sæculum, sua, a qua sensim discesserant, plane obsoleta, Romanæ omnino adhæserunt Liturgiæ.

At quæcumque fuerit Musarabæ Liturgiæ vicissitudo, ac quid quid sit de vetustate Ordinum Liturgicorum Hispaniæ, quos evulgavit Ximenius; utramque Hispanæ Liturgiæ epocham si spectemus, in ea nominatim pro Rege Ecclesiam illam precatam esse, indubia res erit. Vel enim Hispani eadem plane ac Romani a VI. Sæculo usi sunt Liturgia, adeoque cum in Romana precatio pro Principe

fieret, eamdem precem & apud Hispanas Ecclesias obtinuisse, consequens erit. Vel de Hispana Liturgia, quæ tandem a Romana discesserat, sermo nobis erit, eamque singularem id genus precis formulam servasse, laudati duo illi Liturgici Ordines testantur. Inter eas siquidem *orationes*, quæ *Missæ* titulum præseferunt in utraque Ximenii Liturgia, una habetur, quæ dicitur: *Post Nomina*; preit & *Rubrica*, quæ ita se habet: *Dicat Presbyter post Nomina*; deinde ipsamet sequitur precatio, quæ pro iis, quorum nomina Sacerdos recitaverat, fiebat. Hinc porro colligimus, Dypticorum disciplinam Hispanos inter stetisse ad eam ætatem, qua hisce Liturgicis Ordinibus in Re Sacra usi sunt: Si autem in Musaraba Liturgia Dypticorum lectio obtinuit, cuinam ambiguum erit, in illis Regis nomen inscriptum esse, atque pro Rege nominatim Hispanas Ecclesias, quæ Musarabam adhibuere Liturgiam, precari consuevisse? Mirum itaque non erit in ipsomet Musarabæ hujus Liturgiæ Canone Regis Nomen, vel siglam, quæ Nominis locum teneret, nunc minime legi, cum illud e Dypticis de illius ævi more recitaretur.

Qua-

Quamobrem etsi Ximenii studium in antiqua Musaraba Liturgia restituenda maximis prosequamur laudibus, cur Dypticorum lectionem simul non instaurarit, non video, quibus deficientibus, & potissima Liturgiæ pars, cujusmodi est precatio pro Rege, in Missa Musaraba desideratur. Aut enim Dyptica repeteret ille, opus erat, aut in ipso Liturgiæ Canone Nomen Regis inderet, ne cum antiqua restitueret Sacra Hispanorum officia, eam præteriret, cui vetustissimi ejusdem etiam gentis Patres diligentissime studuerant, pro Rege precem. Hæc de Musaraba Liturgia, de cujus historia rursum edisserendum erit sequenti paragrapho.

Gallicana altera fuit inter Latinos Liturgia. In quæstione adhuc versatur, quinam Gallicanis Ecclesiis primo Liturgiæ auctor fuit, cum ambiguum ferme sit, Orientalis ne, an vero Romana Ecclesia Gallis fidei Christianæ Magistra fuerit. Ea sane, quæ Cl. Sirmondus in Dissertatione *de duobus Dionysiis* tractavit, argumenta dilucide ostendunt, Dionysium illum, qui Christi Relligionem Gallos inter induxit, Atheniensem Areopagitam minime fuisse, sed Romanæ Ecclesiæ Pres-

byterum, qui cum Sociis Christianæ Reipublicæ fundamenta in Galliis jecit, atque Episcopum primum omnium illuc egit. Ad hujus profecto Sirmondi, aliorumque ipsius Gallicanæ Ecclesiæ non infimi subsellii Scriptorum sententiæ fidem & ipsamet Historia propius accedere videtur, etsi Tillemontius a Sirmondi opinione omnino discrepet. Verum quicquid sit de ejusmodi quæstione (utrorumque enim argumenta conferre, atque expendere tempus non vacat) Sive a Græca, sive a Romana Ecclesia Religionis Christianæ instituta, atque Liturgicas Leges Gallicana susceperit, ut ut res se habeat, consequens erit, Gallicanam Ecclesiam in antiqua, atque primæva, qua usa est, Liturgia pro Rege precatam esse. Græcæ namque Liturgiæ, perinde ac Romanæ partem Orationem pro Principe fuisse, tum hoc, tum præcedenti paragrapho satis abunde demonstravimus. Hinc undecumque ad Gallos promanarit Liturgia, illam & precem hanc, qua nullibi usquam caruit, secum tulisse fatendum erit.

Hæc sane probant, antiquas Gallorum Ecclesias Liturgicam precem pro Rege egisse. At tempori, locique genio, perinde

de ac aliæ, ita & Romana Liturgia Gallos inter obnoxia fuit, proindeque novis ritibus increvit illa, atque novam methodum sortita eſt tantum, ut v. Sæculo nimium ab illa, quæ Romæ tunc obtinebat, diſcreparet. Hujus enim Sæculi initio Innocentius I. Romanus Pontifex Decentio queritur de ea, quæ Romanam inter, atque Gallicanam Liturgiam intercedebat, differentia, & eos inter Gallorum ritus, quos reprehendit, morem Gallicanæ Eccleſiæ recenſet, legendi Dyptica, antequam Diaconus oblata a fidelibus munera Epiſcopo offerret. Hæc autem Liturgia, quæ progreſſu temporis nova veluti evaſerat, *Gallicana*, atque *Gotthica* appellata fuit.

Cum autem hæc comperta ſint eruditis, intelligi nequit cur operam abutantur illi, inveniendis hujus Liturgiæ auctoribus, ac ſi ſemel omnino illam ab ovo, ut ajunt, aliquis efformarit. Hinc aliis Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, aliis Muſeus Maſſilienſis Presbyter, vel Sidonius Apollinaris Gallicanæ Liturgiæ auctor eſt. Supervacanea porro iſthæc quantum ſit quæſtio, nemo non videt, cum etſi illis auctorum laus deferenda minime ſit, fa-

cili tamen negotio Liturgiæ Gallicanæ instauratores fuisse, dicendum erit ; unusquisque enim eos inter Liturgiæ methodum pro re nata accomodavit, cum vel nova addiderit, vel quæ superflua videbantur, resecaverit. Quamobrem verborum tricis videtur omnis verti questio, quænam, Gallicana ne an Hispana, antiquior habenda sit Liturgia, cum in eo tota sit contentio, harum utri novi primo accesserint ritus, vel harum utra primum a Romana Liturgia discesserit. Inter Tomasium enim, atque Mabillonium haud de Liturgia, sed de vetustate Ordinum Liturgicorum Musarabum, atque Gallicanorum, uter utro vetustior esset, disputatum est; quæ sane quæstio nostro minime redit argumento, eamque in Historia Codicum Liturgicorum maturius tractare decrevi.

Nostrum itaque est nunc Ordines Gallicanæ Liturgiæ ad examen revocare, ut & precem pro Rege in illis legi, exploratum habeamus. Quatuor extant Gallicani id genus Ordines, quorum tres Thomasius publici juris fecit, quartum Mabillonius. Primus dicitur *Missale Gotthicum*, quo Galliæ Narbonensis, ubi Got-

thi

thi imperarunt, Ecclesias usas esse, arbitratur Mabillonius in Commentario ad *Cursum Gallicanum*. Hunc autem Liturgicum Ordinem Tomasius edidit ex optimæ notæ Codice Sæculi VII. Bibliothecæ Reginæ Sueciæ. Alter appellatur: *Missale Francorum*. Tertius: *Missale Gallicanum Vetus*. Horum Ordinum omnium vetustius *Missale Francorum* esse, quippe quod præ duobus alteris, a Romanis Ritibus longe discedat (secundus enim, atque tertius ordo ex Romanis, atque Gallicanis ritibus coaluere), Mabillonius docuit, qui Sacramentaria hæc rursus edidit, atque perpetuo commentario inlustravit. Qartum postremo Ordinem evulgavit idem Mabillonius *to.* I. Musei Italici *pag.* 273. *Edit. Paris.* ex vetustissimo Codice ante Annos M. manuscripto Bibliothecæ Bobiensis. In omnibus autem hisce ordinibus ita comparata est Liturgiæ methodus, ut Sacerdos oratione quadam Missam exorsus, *Collectam* faciat, ac tandem recitet alteram orationem, quæ, perinde atque in Musaraba Liturgia, *Oratio post Nomina* dicitur, cum illam nimirum recitaret Sacerdos, postquam vel ipse, vel Diaconus nomina e Dypticis le-

gerat. Hinc in Oratione *post nomina*; quæ habetur in *Missa Paschali ibid. p.* 332. perspicua Dypticorum mentio fit, ut ipsa orationis verba testantur: *Et nomina, quæ recitata sunt, in cælesti pagella* (Deus) *conscribi præcipias*. In Gallicanis autem Dypticis Regis nomen scriptum fuisse, nemo inficias ibit, cum illius Ecclesiæ Patres, atque Scriptores, pro Rege nominatim in Liturgia orationes fieri consuevisse, testes sint, quorum sententias jam supra laudavimus; imo apud Baluzium ipsa etiam Dyptica habemus, atque Gallorum Necrologia, in quibus Regum nomina legimus. Vide alterum ejus tomum Commentar. *ad Capitularia Regum Francorum*. Quamobrem in Canone antiquioris hujus Gallicanæ Liturgiæ Sigla, quæ deinde Regalis nominis locum tenuit, omnino desideratur, cum, ut, de Musaraba Liturgia locuti, diximus, nulli fuerit Siglæ locus in Canone, quoad stetit Dypticorum disciplina, e quibus Regis nomen recitabatur; ex quo enim Dypticorum usus in re Liturgica obsolevit, statim Sigla N. invaluit.

Postquam de Gallicana edisseruimus Liturgia, in qua Regis nomen e Dypticis lege-

legebatur, supervacaneum est de Britanicæ Ecclesiæ Liturgica disciplina disputare. Eo siquidem primo Relligionem Christianam Romanam Ecclesiam transmisisse longe ante Gregori I. Romani Pontificis ætatem, perspicue, atque scitissime probat Usserius in opere *De Antiquitatibus Britannicis*. Hinc eam Liturgiam (quæ certe Romana rat), qua ad Sæculum usque VI. usi sunt Britaniæ Christiani, peculiarem pro Principe precem habuisse, ambiguum nemini erit. At Sæculo tandem VI. Gregorius I. Augustinum monachum in Cantium Angliæ Regnum misit, quo is Christianæ Relligionis solidiora jecit fundamenta Anno DXCVI. Augustinus autem in Galliam primo profectus, inde Cantium venit, eoque Gallicanam Liturgiam secumtulit, quæ forte populorum moribus accommoda præ Romana ei visa est. Quod si de ratione non constat, certum plane est, Gallicanam Liturgiam Augustinum Cantii Ecclesiis tradidisse: nam præter Bedæ auctoritatem, qui illud indicare videtur, cùm Historiæ Libro I. c. XXV. de Augustini itinere, atque Gallorum nonnullis, qui illum in Angliam comitati sunt, sermonem instituit; satis idipsum testatur epi-

epiſtola Gregorii I. Auguſtino ſcripta, qua illius de Liturgica diſciplina quæſitis reſpondet. Neque Auguſtino fas erat a Gallicana Liturgia diſcedere, eique Romanam præferre, cum Berthæ Cantii Reginæ, quæ catholicam profitebatur fidem, obſequendum ei eſſet. Bertha ſiquidem *de gente Francorum*, ut Beda ibidem ait, *Regia* erat, Ethelberto Cantii Regi deſponſata *ea conditione*, ſequitur ille, *ut ritum fidei, & relligionis ſuæ . . . . inviolatum ſervare licentiam haberet*. Gallicanam itaque Liturgiam jure tradidit Auguſtinus, cum Reginæ antiqua eſſet, cujus ope Chriſtianæ fidei Sacramentis Regem ipſum, atque Cantii populum initiavit. Accedit tandem & fides ms. codicis Sæculi VII. apud laudatum Uſſerium titulo *de Eccleſiaſticorum Officiorum origine*, ex quo colligitur, Gallicanam Liturgiam in Angliam induxiſſe Germanum Epiſcopum Antiſſidiorenſem, & Lupum Epiſcopum Trecenſem. Ex Cantii Eccleſiæ fonte fidem Chriſtianam Sæculo VII. hauſerunt reliqua, quæ ſeptem tunc erant, Angliæ Regna; quare inter Auſtrales Saxones, Eſtanglos, Eſt-Saxones, Mercios, Northumbros, atque Weſt-Sa-

xones

xones Gallicana, quæ primum in Cantii Regno obtinuerat, Liturgia invaluit. Quemadmodum itaque in Gallicana Liturgia Dypticorum lectio fiebat, ex quibus Regis nomen recitabatur, ut pro illo fideles precarentur; ita & in Anglicanis Ecclesiis, quibus idem erat Liturgicus Ordo, factum fuisse, ambigendum non erit.

Gallicana autem Liturgia Germaniæ Ecclesias usas esse, exploratum est. Vel enim Gallicanæ Ecclesiæ nomine regiones veniunt, quæ Occidentalibus parebant Imperatoribus, atque eas inter Germaniæ illas recenseri, indubia res est. Sub Carolovingicis siquidem Imperatoribus Germaniæ Ecclesiæ Gallicana utebantur Liturgia, cum illa Imperii propria esset, adeoque in omnibus Ecclesiis, quæ Imperialis erant ditionis, Gallicanos ritus obtinuisse, nemo inficias ibit.

Quod si rem alte repetemus, dilucidius, atque firmius nostra constabit sententia; Sæculo enim VIII. ex Anglia Frisios inter Christiana promanavit Relligio, opera S. Bonifacii, cui S. Willebrordus, & ipse Anglus, adfuit, qui Thuringiæ, atque Hassiæ Fidei auctor fuit. Idipsum

erga

erga Bajoarios, sive Bavaros præstitere eodem Sæculo SS. Willibaldus, atque Wnebaldus, Angli itidem Monachi. Hoc autem Sæculo jam dictum est, Anglicanæ Ecclesiæ Liturgiam, perinde ac Gallicanæ unam eamdemque fuisse; hinc consequens est, Anglos Monachos, qui Germanos Relligionem edocuere, Gallicanam Liturgiam eis tradidisse. Saxones autem, Hunnos, Avarosque Gallicanam perinde Liturgiam una cum Christiana Relligione accepisse non dubito, cum illi, Caroli Magni suasu, Christo nomen dederint, neque sapientissimus Imperator aliam eos inter statuisse Liturgiam, nisi illam, quam Imperii Ecclesiæ adhibebant, satis evincunt tum Ecclesiasticæ politiæ ratio, tum gestorum Caroli historica monumenta apud Annales Laureshamenses, Bertinianos, atque Mettenses.

Mediolanensis tandem Ecclesia propria usa est Liturgia, quæ vulgo *Ambrosiana* appellatur, & inter Occidentis Liturgias locum obtinet. Hanc autem Liturgiam maximæ antiquitatis esse, selectissimis argumentis probat Vicecomes in altero Libro *de Antiquis Missæ Ritibus* c. XII. & XIII. Profecto tum precum formulæ,

tum

tum rituum indoles ipsiusmet Ambrosii ætatem facile vincunt. Ambrosius vero cum Liturgiam vel auxerit, vel ad meliorem formam redegerit, ejus nomen tulit illa, quod ad nostram usque præsefert ætatem; Mediolanensis siquidem Ecclesia antiquæ Liturgiæ vestigiis firmiter adhæsit, neque passa est pristino Ambrosiano Ordine privari. Hujus autem Liturgiæ initium Romanæ, quod probabilius videtur, tribuimus Ecclesiæ: in historia etenim Codicum Liturgicorum, a vero nimium aberrasse Vicecomitem, qui Barnabam Apostolum hujus Liturgiæ auctorem habet, dilucidius ostendemus. At sensim Mediolanensi Liturgiæ novos addidisse ritus hi, qui illam moderati sunt post Ambrosium, Episcopi, testantur Walfridus Strabo *de Ritibus Ecclesiasticis c.* XXII. apud Hittorpium *p.* 393., Landulfus Senior in Historia ms. apud Mabillonium, atque Paulli, & Gebehardi Epistolæ ad Martinum, quas ex Bibliothecæ Ambrosianæ Codicibus ms. edidit Mabillonius Musei Italici *to.* I. Hinc Cl. Mabillonius, qui antiquiores, recentioribus contulit Ambrosianæ Liturgiæ codicibus, fatetur, discrimen aliquod inter antiquiorem, at-

atque nuperam hujus Ecclesiæ Liturgiam interesse. Verum quamquam novi accesserint huic Liturgiæ ritus, atque antiqua quodammodo methodus immutata fuerit, stetit nihilominus in Ambrosiana Liturgia oratio illa pro Principe. De pristina enim hujus Liturgiæ conditione testis locupletissimus est ipsemet Ambrosius, cujus de Christiana prece pro Regibus testimonia supra protulimus. Hinc sive Ambrosianam Liturgiam a Romana Ecclesia initia sumsisse dicemus, sive Ambrosium illam instaurasse sentiemus, aliquando Mediolanensem Liturgiam Apostolica illa oratione caruisse, dubitare audebit nemo. Quin & ea, quæ apud Pamelium, aliosque restant adhuc, Ambrosianæ Liturgiæ medii ævi Missalia ad nostræ sententiæ fidem perspicue accedunt: In illis enim Siglam legimus, quæ in Canone Regalis nominis locum tenet; ex quo satis aperte liquet, olim e Dypticis Principis nomen recitasse Mediolanensem Ecclesiam, ac tandem antiquatis Dypticis in ipsomet Canone de Principe commemorasse; id quod ad nostram usque ætatem illuc fieri, testantur quot quot extant editi Mediolanensis Ecclesiæ Liturgici Ordines.

In

In quatuor itaque Latinæ Ecclesiæ Liturgiis peculiarem quamdam pro Rege precem fuisse, tum ex illarum historia, tum ex antiquioribus, quæ supersunt, monumentis plane liquet. Apostolicæ etenim traditionis præcepta, atque leges inviolatas servarunt Latinorum Ecclesiæ. Nam etsi una, eademque illis non fuerit Liturgiæ ratio, id quod attamen Liturgiam suapte natura intererat, unum idemque ubique Ecclesiarum fuit. Latum sane discrimen ritus inter, atque nativas Liturgiæ partes animadvertendum est: Ritus profecto, politiæ indolem secuti, iis vicissitudinibus obnoxii fuere, quæ a diversa temporum conditione, gentis, populique genio pendunt. Quamobrem Liturgicæ cæremoniæ aliæ Romæ, aliæ Parisiis, aliæ Toleti fuere, postquam populi genio, quo par erat, Episcopi indulgentes, externum Liturgiæ apparatum patriis moribus quodammodo accomodare studuerunt: quod profecto medio potissimum ævo obtinuit in Occidente, tum nimirum cum ad Occidentalium nationum gubernacula indigeni Episcopi accessere. At quæ Liturgiæ propria suapte natura erant, sarta tecta usque fuere, neque um-

umquam Episcoporum aliquis ausus est illa novis immutare; quia maximam temeritatis, impietatisque notam ferret. Hæc itaque, quæ diximus de Liturgiæ methodo, quid veteres, quid medii ævi Patres, atque Ecclesiæ de prece pro Principe senserint, perspicue patefaciunt. Si enim precem hanc inter Liturgiæ ritus, cæremoniasque retulissent illi, idem ac rituum fatum Liturgicam orationem, de qua nobis sermo est, subituram fuisse, nulli dubium erit. Nulla profecto major ratio vicissitudinum aliorum rituum, ac precis hujus habenda fuisset; cum quis quis ad mediæ præsertim ætatis Occidentalem Historiam oculos converterit, plane intelliget, Bella, quæ magna exarsione Europeas regiones pervasere, Regnorum eversio, novorumque Principum Imperia, quæ in dies illuc invalescebant, ingens illa, quæ Occiduos inter late patebat divisio, Barbarorum depopulationes, quæ vastitatem Europeis regionibus undequaque induxerunt, hæc inquam omnia, Ecclesias, ut ab ea discederent prece, sæpissime impulisse, quis non videt? At difficillimæ huic temporum conditioni forte inserviissent nonnullæ saltem Occidentis

Ec-

Ecclesiæ, si precationem pro Principe, velut Liturgicam habuissent cæremoniam. Noverat siquidem, quis quis Religionis Christianæ instituta sectabatur, noverant & Episcopi, Christianæ Fidei sequestres, precem illam non cæremoniæ, neque ritus, sed potissimæ legis vim secum ferre.

Ea itaque de caussa sicuti in Orientis Liturgiis, ita & in Latinorum illis inter præcipuas Sacrorum Mysteriorum Orationes Ecclesia precem pro Principe recensivit. At cum tandem inter laudatas Latinorum Liturgias tum Hispana, tum Gallicana obsoleverint, earumque locum Romana usurpaverit; hujus mutationis historia ad examen revocanda est, ut Apostolicam orationem pro Principe ad nostram usque ætatem apud omnes Ecclesias obtinuisse, quæcumque fuerit Liturgicæ methodus vicissitudo, luculentius ostendamus.

§. XI.

De Leoniano, Gelasiano, atque Gregoriano Romanæ Ecclesiæ Sacramentariis. Qua ratione a pristina desciverit conditione Musaraba, atque Gallicana Liturgia, ejusque vicem Romana tum apud Hispanos, tum apud Gallos præstiterit, stante nihilominus antiqua prece pro Principe.

QUæ omnium Liturgicorum Ordinum, eadem & Romanæ Liturgiæ conditio fuit, nam etsi simplicissima olim esset, sensim deinde tot illa aucta est ritibus, novisque precibus, ut tandem, satiscente in dies pristina methodo, alia prorsus illius ratio evaserit. At inter Liturgicas vicissitudines, quæ a tertio ad v., atque vi. Sæculum Missæ Ordinem variarunt, atque illas, quæ medio ævo idipsum præstitere, latum patet discrimen. Proclus sane Constantinopolitanus Archiepiscopus, cujus verba jam supra protulimus, ea patefacit argumenta, quibus permoti, sapientissimi illius ætatis Episcopi antiquiores Liturgias ad compendium conferre studuerunt; siquidem illi, etsi temporis, atque populorum, qui facile tædio

dio afficiebantur, genio indulgerent, maxima nihilominus relligione majorum suorum instituta reveriti sunt; quamobrem nemo eos inter ad v. usque Sæculum novis antiquos ritus immutare ausus est, cum satis haberent, breviori methodo tradita a majoribus officia persequi. Interea Episcopi in iis, quæ populo habuerunt, concionibus, rituum indolem aperte explicare studuerunt, ut Christiani, qua mente Liturgicis precibus opera navanda esset, perspectum haberent: id testantur eorum homiliæ, in quibus passim nativa rituum ratio exponitur. Quamobrem illius ætatis fideles apprime noverant ipsius Liturgiæ naturam, neque verbo tenus preces recitabant, quippe qui mente totius Liturgici apparatus rationem rimati, quid unaquæque cæremonia sibi vellet, plane intelligerent.

Hæc porro fuit aureæ Ecclesiæ ætatis conditio. Verum satis diu non stetit illa: turpis namque, quæ medio ævo tum Clerum, tum plebem obrepsit, ignorantia novitatis Ecclesiasticæ politiæ in caussa fuit. Cum enim Episcoporum nonnulli literis omnino expertes essent, perinde ac clerici, quibus plebis institutio demanda-

ta erat, antiquiorum rituum rationes illos latebat, adeoque plebs ipsa, cum Sacris aderat, quid ageretur, prorsus erat ignara. Clerus enim vetusta Patrum scripta neque intelligebat, neque illa facili negotio comparare poterat, cum neminem fugiat codicum caritas, quæ illo invaluerat ævo; id sane clericos a literarum cultura imprimis averterat, qui illos tanti non faciebant, ut carius mercandos putarent. Hinc itaque factum est, ut tandem quid ritus sibi vellent, neque qui Sacrum peragebant, neque qui Sacro aderant, noscerent. At eos puduit nihilominus tantæ rerum ignorationis; quare aliam, prorsus novam, aggressi sunt methodum, ut aliqua ratione ritus indolem explicarent, atque pietatem fidelium quodammodo foverent. Maxima siquidem earum rerum ignorantia, ut solet, sensim e plebis pectore eliminaverat sacri cultus studium, cum facile homines pertædeat eorum, quorum rationem mente assequi nequeant. Ea igitur de caussa Episcopi, aliique e clero, literis pro illius ævi genio exculti, mysticas rituum rationes excogitarunt, easque plebem docuerunt; ex quo sane nova oborta est Liturgicarum re-

rerum scientia, qua vel inani, vel quandoque futili ferme interpretatione ea, quæ solidioribus argumentis statuerant antiqui, explicata sunt. Mystica autem hæc Liturgiæ interpretatio novis etiam ritibus viam patefecit: cum etenim quisque mysticam cæremoniarum rationem suo marte effingere posset, antiquas, quarum vim ignorabant, facili negotio novis, de quibus mystica promptius reddi posset ratio, immutarunt. Quare animis tandem excessit summa illa veterum de re Liturgica relligio, cæremoniæ variarunt, neque eodem res constitit, usque dum Episcopi ipsimet, tanta increbrescente novitate pene lassati, nullum mysticæ, ut ita dicam, libidini futurum esse modum, animadverterunt, nisi certis legibus Sacri Cultus apparatum definirent.

Hinc Episcopi leges quasdam tulere, quibus omnem Sacræ Liturgiæ apparatum moderati sunt, ut Presbyteri a tradita illa rituum ratione nusquam discederent. Hi autem canones initio, etsi antiquum Missæ ordinem minime restituissent, Liturgicæ attamen politiæ rationem certis limitibus circumscripsere, ejusque methodus stabilior evasit. Atque utinam res eo-

constitisset; nam ut prodiere tandem Scholastici, rursus statuta caruit methodo Liturgia. Hi porro cum omnem mentis aciem eo converterent, ut verbis quibusdam, antiquioribus plane inauditis, atque implexis, ut ajunt, *distinctionibus* omnem scientiarum vim obretirent, ipsamet Liturgiæ ratio eorum certe non fugit rudem sollertiam; quamobrem novas hi in dies disputationes instituere de Liturgica etiam re conati sunt: ea siquidem methodo rituum, quorum indolem ignorabant, rationem assequi putarunt. Quis quis Scholasticorum scripta legerit, novit profecto quot illi scriptitarint rituum commentaria, quot quæstionibus Liturgicam rem implicarunt, quotque in tricas Sacri cultus leges conjecere. Hinc quot pene fuere scholasticorum, qui laureolam adepti erant, capita, tot ferme fuere de Liturgica re sententiæ; ex quo factum est, ut neque tandem uni eidemque Ecclesiæ una eademque, ut olim erat, sententia fuerit; id quod ipsammet quodammodo interrupit Liturgicæ traditionis seriem, atque sanctissima illa Liturgicarum legum ferendarum jura Episcopis, quo par erat, haud stetere, cum

Do-

Doctorum ſententia pluris eſſet, quam Epiſcoporum illa.

Poſtquam itaque Scholaſtici in Liturgiæ meſſem, ut ita dicam, luxuriati ſunt, tandem aliquando Rubriciſtarum ſchola prodiit. Hi namque ex iis, quos medio, ut diximus, ævo Epiſcopi condiderant, Liturgicis canonibus, atque ſcholaſticorum interpretamentis quorumdam præceptorum ſyllogem coagmentarunt, ad quorum normam tum Pſalmodicæ, tum Myſticæ Liturgiæ Ordo dirigendus eſſet, cum interea iis ipſis præceptorum ratio nequaquam perſpecta eſſet; quandoque etenim myſtica ducti ratione, quandoque improvida, hebetique pietate, rituum rationem quin antiquis ſtatutis conformarent, ipſos potius ritus, atque cultus apparatum tempori inſervire fecerunt. Nova hæc inſtituta legum vim paullatim uſurparunt, poſtquam Epiſcopi illa confirmarunt, eorumque uſum propriis Eccleſiis juſſerunt. Liturgici hi canones in ipſius deinde Miſſæ Ordinibus irrepſere, ut quiſque, qua ratione cæremoniis vacandum eſſet, ob oculos haberet; & quò a precibus ipſis Liturgicis diſcriminarentur, literis minio coloratis illos paſſim

inter ipſas Miſſæ partes exararunt; quare *Rubricarum* nomen tandem cæremoniales illi canones adepti ſunt. Hæc profecto eſt totius hiſtoriæ viciſſitudinum Liturgiarum Occidentalium ſumma; ſiquidem Orientalium illæ tantum evaſere diſcrimen, cum Scholaſticorum, atque Rubriciſtarum, quibus immunes Græci fuere, effugerint vel rabidas diſputationes, vel inficetas leges; quamobrem etſi politicas inter Orientis viciſſitudines omnis omnino non ſteterit antiquus illarum ordo, parum attamen immutatum eſt priſtinum rituum ſyſtema. Nos itaque Latinæ Liturgiæ viciſſitudines preſſo pede perſequemur, hiſtoria duce, ut tandem maximi momenti argumentum ex illarum hiſtoria eliciamus. Quæ ſane, ac quanta habenda erit precis pro Principe vis, ſi in tanta rituum confuſione, ſarta tecta ſteterit illa? Itaque operæ pretium erit, videre Apoſtolicum hoc præceptum, quod ab Eccleſia condita ubique gentium obtinuit, inviolatum ad nos uſque ſervari.

Inter Romanæ Liturgiæ preces olim & illam pro Principe fuiſſe, ſupra demonſtravimus; nemini ſane dubium erit, Liturgiam ab Apoſtolis traditam Apoſtolicam illam precem.

cem pro Principe secum tulisse; quare in comperto est, tribus primis Æræ Christianæ Sæculis Romanam, aliasque, quæ eadem utebantur Liturgia, Ecclesias singulari oratione pro Principe precatas esse, cum ferventissima Martyrum vota hoc idem dilucidius testentur. Eamdem fuisse Sæculi IV. disciplinam, etsi nulla suppetant hujus Ecclesiæ monumenta, satis liquet ex iis Romanis Dypticis, quorum meminit Nicolaus I. R. Pontifex: in illis siquidem Constantini Magni nomen primo loco legimus; igitur eodem IV. Sæculo Imperatoris nomen sacris Dypticis Romana exaravit Ecclesia, atque jam tum pro illo nominatim preces Liturgicas egit. Idipsum Sæculo V. de Romana nos docuere Liturgia hujus Ecclesiæ Pontifices Bonifacius I., & Leo I., quorum verba paragrapho VII. exscripsimus. Sæculo deinde VI. testis est Clarissimus Senator Cassiodorus, sive quis quis fuerit *Variarum Lectionum* auctor, Cassiodoro certe suppar, in epistola Johanni Papæ scripta, quæ est secunda libri XI. Hanc profecto epistolam luculentissimum veluti, atque egregium habemus Sæculi VI. monumentum; perspicue enim quanti faceret

ret Liturgicas Ecclesiæ preces Christiana Respublica, quanta animi contentione illis Ecclesiæ ministros Princeps hortaretur, ostendit. Cassiodorus porro epistola illa grates Pontifici rependit, quod suis precibus mala, Italiæ impendentia, averterat. Hinc ita epistolam exorditur: *Supplicandum nobis est, Beatissime Pater, ut lætitiam, quam per vos, Deo largiente, percepimus, custodiri nobis vestris orationibus sentiamus . . . Ecclesiasticis siquidem jejuniis fames est exclusa popularis; decoris lachrymis tristitia fœda discessit, & per sanctos viros acceleratum est, ne traheretur diutius, quod gravabat.* Postquam itaque tanti esse Ecclesiæ precem fassus est, sic Pontificem hortatur: *Et ideo salutans officiositate, qua dignum est, precor, ut vivacius oretis pro salute Regnantium, quatenus eorum vitam cœlestis Princeps faciat esse longævam, Romanæ Reipublicæ hostes imminuat, tempora tranquilla concedat, deinde, quod ornat pacem, necessariam nobis copiam de abundantiæ suæ horreis largiatur.* Ac tandem his epistolæ argumentum colligit: *Nil ergo timemus talibus patronis, si oratio non desistat Antistitis.* Iisdem perinde precibus hortatur Epi-

Epiſcopos omnes ea , quæ ibidem ſequitur, epiſtola , *Univerſis Epiſcopis* ſcripta , quos ita alloquitur : *Quapropter* , *veri parentes* , ... *vos deprecor* , *ut Domino ſupplicetis* , *qui vitam Principum Noſtrorum florenti Regno protendat*. Sexto itaque Sæculo tum Romana , tum ceteræ Italicæ Eccleſiæ pro Principe conſuetas agebant preces in Liturgia, eiſque enixius ſtudebant, cum vel Principis ſalus , vel Reipublicæ illa periclitaretur. Ac ne tandem ſingula Sæculorum monumenta expendenda aggrediamur , Apoſtolicam hanc precem perſecutam eſſe Romanam Eccleſiam ad Sæculum uſque IX., teſtis eſt laudata Nicolai I. epiſtola , qui omnia Imperatorum nomina a IV. ad IX. Sæculum , quo Romanam ille moderabatur Eccleſiam , illius Eccleſiæ Dyptica complecti , ſcribit.

At præter laudata Scriptorum teſtimonia , tria illa Romanæ Liturgiæ monumenta noſtro quam quæ maxime ſuffragantur argumento ; tria nimirum illius Eccleſiæ Sacramentaria Leonianum , Gelaſianum , atque Gregorianum . Primum a Leone I. Romano Pontifice , cui tribuitur, Leonianum appellatur . Nemini

olim

olim dubium fuit, hujus Liturgici Ordinis ipſum Leonem I. auctorem fuiſſe; at progreſſu ætatis in diverſa abierunt eruditi, quos inter de auctore adhuc non convenit. Nos autem Cl. Euſebii Amort ſententiæ facile acquieſcimus, qui Sacramentarium illud ipſo Leone antiquius putavit, cum ritus, atque formulæ precum, quæ in illo habentur, hujus Pontificis ætatem facile vincant: Forte Leo ad meliorem ordinem illud redegit, quo factum eſt, ut ejus nomen exinde tulerit, quemadmodum, de Jacobi Liturgia locuti, diximus, quæ tum Chryſoſtomi, tum Baſilii nomen obtinuit, ex quo hi ad compendium illam contulere. Hoc autem Sacramentarium primo evulgatum fuit Romæ e codice Bibliothecæ Vaticanæ, quod præter mendas, quibus ſcatet, Canonem præſertim mancum habet; at Ludovicus Muratorius ex Codice Bibliothecæ Eſtenſis Sæculi fere x. aliud edidit Romanum Sacramentarium, Vaticanæ Bibliothecæ illi prorſus ſimile, in quo nihilominus tum rituum, tum Canonis Ordo integer habetur. In alterius itaque Leoniani hujus Sacramentarii Canone orationem illam *Te igitur* legimus iisdem

pror-

prorsus verbis, ac in nostris habemus Liturgicis Ordinibus, hinc in illa verbis *toto orbe terrarum* sequitur commemoratio de Pontifice, Rege, atque Episcopo: *Una cum famulo tuo Pontifice Nostro* (*illo*), *&* *Rege Nostro* (*illo*), *&* *Antistite Nostro* (*illo*). Hoc autem Sacramentarii Leonianis Codice Romanam Ecclesiam minime usam esse, argumento nobis est *Antistitis Nomen*; nulla sane Romæ precatio pro Antistite fiebat, quò Pontifex unus Ecclesiam gubernabat. At duo in hoc Sacramentario observatu digna videntur: I. Codicem hunc Sæculo x. antiquiorem esse, cum voculam *Illo* habeat, de qua singulari nota (ix.) locuti sumus. II. Regis nomen Antistitis illi præire, id quod in Orientalium Liturgiis fit; primum enim obtinet locum precatio pro Principe, cui & illa pro Patriarcha, vel Antistite sequitur, eademque methodo του πολυχρονιου preces se habent.

An Gelasii Romani Pontificis γνησιον opus sit, illud, quod ejus præsefert nomen, disputant eruditi. Verum nullus videtur quæstioni locus, si Gelasio Romanam Liturgiam emendatiorem tribuamus, cum illius studium in definiendis

dis Liturgicis præsertim Lectionibus, atque apocriphis e Liturgia expungendis, testatum faciant Acta illius Concilii, quod Romæ habuit Anno ccccxciv. Ex vetustissimo codicæ Bibliothecæ Reginæ Sueciæ hoc edidit Sacramentarium Cardinalis Tomasius. In hoc autem Sacramentario nemini mirum erit, precis pro Principe formulam desiderari; quis enim dubitaverit Romæ inter Liturgicas preces potissimam illam pro Principe fuisse Sæculo v., cum eodem Sæculo idipsum testati sint Bonifacius I., atque Leo I. ejusdem Ecclesiæ Pontifices? Si etenim *Codicis antiquissimi* (ut illum Morinus in Appendice ad libros *De Sacramento Pœnitentiæ* appellat) vetustatem perspectam habemus, perspicue intelligimus, illo Romanam usam esse Ecclesiam tum, cum adhuc Dyptica legerentur; neque dum enim formula precis e Dypticis in ipsomet irrepserat Canone, quod non semel omnino, sed sensim factum est; in hoc namque Sacramentario precatio tum pro Pontifice, tum pro Antistite, perinde ac illa pro Rege plane desideratur.

Sæculo vi. Gregorium I. Pontificem Summum Romanæ Ecclesiæ Liturgicum

or-

ordinem, qui Gelasio tribuebatur, instauraſſe, narrat Johannes Diaconus, qui geſta Pontificis literis mandavit. Hinc tandem Romana Liturgia Gregorii nomen ſibi adſcivit. Utinam autem & Gregorianum, Sacramentarium, prout Gregorii ætate prodiit, ad nos ſtetiſſet, illud profecto in dies novis de more auctum eſt ritibus. Verum eruditorum ſollertiam nova hæc additamenta minime fugerunt, quibus aditum novis dignoſcendis patefecere nonnulli antiquiores hujus Sacramentarii codices, cujuſmodi ſunt ille, quem edidit Lambecius e Bibliotheca Cæſarea, alter, quem Menardus poſt Pamelium commentariis illuſtravit, atque Buteleriànæ Bibliothecæ codex, qui ceteris vetuſtior videtur Fresnio, cum re ipſa codicem hunc nativum S. Gregorii Sacramentarium continere arbitratus ſit; etſi infirmis admodum argumentis illius ſententiam inniti, oſtendam in altero tomo Hiſtoriæ Codicum Liturgicorum Eccleſiæ Latinæ. In laudatis itaque Gregoriani Sacramentarii Codicibus ne latum quidem unguem a noſtro diſtat Miſſæ Canon; hinc in prima Canonis parte hæc habetur formula: *Pro Pontifice Noſtro N.*, *&*

pro

pro Rege Nostro N. Sigla profecto recentior est, minime autem precationis formula, quam Gregoriani antiquioris Sacramentarii propriam usque fuisse, quot quot illud commendati sunt Menardus, Pamelius, Mabillonius, Baluzius, aliique in Ecclesiasticis antiquitatibus maxime versati Scriptores, docuere.

Ex his itaque, de quibus hactenus edisseruimus, Romanæ Ecclesiæ Sacramentariis procul dubio colligimus, illam a primis ad XIII. Sæculum in Liturgia pro Principe preces egisse; tria sane Sacramentaria Liturgicæ historiæ illius Ecclesiæ potissima sunt monumenta, cum illa singulas Romanæ Ecclesiæ ætates præseferant: Quamobrem cum, ut mox dicturi sumus, Sacramentarium Gregorianum ad Sæculum usque XIII. unica fuerit Romanæ, Italicarum, Hispanarum, Gallicanarumque Ecclesiarum Liturgia, illa, quæ nusquam ex eodem Sacramentario excessit, deprecationis formula, ambiguum non erit argumentum precis Liturgicæ pro Rege.

Quod autem hujus formulæ historiam interest, animadvertendum est, olim, cùm nimirum ex ipsis Dypticis Regis nomen recitaret Diaconus, formulam: *pro Re-*

Rege Nostro N. minime in Canone obtinuisse; siquidem illa supervacanea certe fuisset, cum Dypticorum lectionem deprecatio pro Principis bono sequeretur. Hinc ne vestigium quidem hujus formulæ apparet in antiquioribus Latinorum Sacramentariis, quæ ante Sæculum IX. exarata fuere, quemadmodum evincunt Sacramentarium Gregorianum a Muratorio editum, & Gelasianum antiquius Bibliothecæ Vaticanæ, quæ quidem IX. Sæculo longe vetustiora esse, tum characterum forma, tum ceteræ diplomaticæ notæ ostendunt. At antiquata tandem ad IX. Sæculum Dypticorum lectio fuit; quamobrem Ecclesia, cui cordi summopere erat Apostolica illa deprecatio pro Principe, longa sæculorum traditione firmata, statim in ipsomet Canone formulam illam: *Pro Rege*, *&c.* induxit, ut nominatim pro Rege antiquam persequeretur precem, qui sacra facturus, populi vota Deo O. M. offerebat. Ex quo factum est, ut in iis Sacramentariis, quæ deinde exarari cœperunt, inter eas, quas prima Canonis pars complectitur, orationes, verba illa haberentur: *Pro Rege Nostro N.* At medium inter utramque hanc di-

 sci-

ſciplinam morem obtinuiſſe, perſuaſum habeo. Dixi etenim paragrapho VI., Dypticorum uſum ſemel non excidiſſe, ſed poſt tot, quibus ſubijere illa, viciſſitudines, tandem Sacerdotes Dypticorum tabellas ſuper Altare collocaſſe, atque ne lectis quidem illis, precatos eſſe pro iis, quorum nomina ipſamet Dyptica continerent. Tunc profecto aliam Sacerdos ſubaudivit ſententiam huic formulæ: *Et pro Rege Noſtro illo*, cum vocula *illo* nomen Regis in tabellis, quæ ejus oculis objiciebantur, exaratum ille intenderet; quamobrem, ut dictum eſt, in antiquioribus Sæculo X. Liturgicis Ordinibus pro ſigla *N.*, quæ poſtea invaluit, vocula *Illo* legitur. Cum tandem omnis omnino Dypticorum uſus evanuiſſet, tunc profecto Epiſcopi, qui Apoſtolicarum traditionum cuſtodes erant, ne Principis nomen Sacerdotes in Liturgia præterirent, formulæ: *Et pro Rege Noſtro* ſiglam illam *N.* addidere, ut nimirum Sacerdos Regis nomen eo loci recitaret. Hæc ſane, quæ de hujus formulæ hiſtoria leviter attigimus, vigilem Eccleſiæ curam ſervandis Liturgicis hiſce precibus pro Rege, ſatis ſuperque teſtatam faciunt.

Gre-

Gregorianum autem Sacramentarium intra unius Romanæ, aliarumque Italiæ Ecclesiarum limites non stetit; sed sensim Hispaniam, Galliasque ita pervasit, ut tandem unicus, ceteris antiquatis, totius Occidentis Liturgicus Ordo evaserit, si unam excipias Mediolanensem Ecclesiam. Romani siquidem Pontifices omnem contulerunt operam, quo sacri cultus unitatem ubique Ecclesiarum Latinos inter statuerent. Hinc Sæculo XI. Alexander II. Romanus Pontifex primus Romanæ Liturgiæ ritus Hispanos inter inducere aggressus est. Nam Hispanis Episcopis, qui Mantuano interfuerant Concilio, ut Gotthicas leges, perinde ac Musarabicum ritum abrogarent, suadere studuit. Hispani Episcopi eodem frequenti Patrum Concilio Pontifici restitere, cum a Catholicæ Ecclesiæ indole ne minimum quidem Musarabam Liturgiam discedere, ostendissent; quamobrem satis habuit Alexander, illos Gotthicas Leges antiquare, & de Liturgiæ quæstione, cum proprias repeterent Ecclesias, Hispanæ Gentis suffragia inire, ut totius Regni præsertim Arragoniensis, cujus gentis Episcopi illi erant, consensu Musarabam refigerent, atque Romanam am-

 ple-

pleEL..entur Liturgiam. Hi itaque Episcopi domum reversi, secum tulere Hugonem Cardinalem Legatum a latere, cujus fidei Pontifex Romanus opus omne commiserat. Hugo, Barcinone Concilio indicto, anno MLXIV. Pontificis mandata Hispanis exposuit, ejusque suasu codex legum Gotthicarum, quibus Catalauni utebantur, abrogatus est, minime autem Musaraba Liturgia, a qua illi divelli nullimode passi sunt; quamobrem Hugo Romam reversus est, opere infecto. Verum qui Alexandro successit, Pontifex Gregorius VII. inceptum opus maxima dexteritate perfecit; nam defuncto Ferdinando I. Magno Castiliæ, Legionis, atque Asturiarum Rege, Gregorius apud illius filios, quorum Santio natu majori Castiliæ, Alphonso Legionis Regnum obtigerat, repetitis epistolis, magnis precibus contendit, ut Romanæ Liturgiæ Hispanis auctores essent. Interea ad suam ille adduxerat sententiam Hispanos Episcopos in Romano Concilio Anni MLXXIV., in quo hi postquam ei fidem obstrinxerant, quodam veluti canone Hispanis Ecclesiis mandavit, *ut Romanum Ordinem, atque Officium reciperent*. Hinc tandem Santius, Pontificis efflagitatu victus,

Ri-

Rituum Musarabum abolitionem ; atque Romanæ Liturgiæ usum Castellanis, aliisque Gallæciæ, atque Lusitaniæ Ecclesiis indixit, ejusque exemplum secutus est paulo post ejus frater Alphonsus, Anno MLXXX. Fertur, patriis illius ævi moribus Hispanos ambarum Liturgiarum quæstionem decidendum statuisse ; siquidem tunc in moribus erat vel duello, vel igne, vel alia methodo rerum, quæ in dubio versabantur, controversia definiri. Hinc Rodericus Ximenius, Sæculo XIII. Toletanus Archiepiscopus, libro VIII. *De Rebus Hispaniæ* narrat, Castiliæ Optimates duobus militibus, de medii ævi genio, litem Liturgiarum demandasse, quorum alter pro Musaraba, alter pro Romana decertaret Liturgia, eo ut illa amplectenda, atque tenenda esset, pro qua, qui ad singulare illud descenderat certamen, victor evaderet: Vicit sane Musarabæ Liturgiæ Heros. At utrique Reges Romanæ Liturgiæ victoriam magnopere exoptabant, quare rursus de Liturgiis periclitandum esse decrevere ; & quo res indubia prorsus maneret, igni tum Romanæ, tum Musarabæ Liturgiæ codicem tradi jusserunt, quarum ea, quæ inviolata flammis

 resti-

restitisset, primum obtineret locum. Verum rursus victoria pro Musarabo stetit codice, concremato Romanæ Liturgiæ illo. Incepto tamen haud destitit Gregorius, aliam etenim scripsit pro Romana Liturgia epistolam Alphonso VI., quæ altera est libri VIII., & Constantiæ Alphonsi uxoris, quæ apud Regem magni erat, opera tandem usus est; qua de re, sensim Musarabo fatiscente ordine, Romani ritus Hispanas Ecclesias pervadere cœperunt. Ut autem Sæculo XIV. Urracæ Alphonsi VI. filiæ Alphonsus VII. successit, eique Berengharia desponsata est, Romanam Liturgiam Hispani omnes amplexi sunt, Musaraba plane obsoleta. Cum enim jam dudum in Galliis Romani obtinuissent ritus, Berengaria Raymundi Berengarii III. Barcinonis, & Provinciæ Comitis filia ægre tulit inter Hispanos Romanam non obtinuisse Liturgiam, adeoque omnem in Palentino præsertim Concilio contulit operam Musarabis Ritibus abolendis. Inductæ itaque Romanæ Liturgiæ Hispanas inter Ecclesias initium Sæculo XII. statuendum est. Hoc autem Sæculo Innocentius III. Romanus Pontifex, ut mox dicemus, testatur, precem pro Principe in Canone Romani ordinis fieri consuevisse; ex quo col-

colligere licet, precem pro Principe, ut ut obsolverit Musaraba Liturgia, persecutas esse Hispanorum Ecclesias, etiam postquam Romana uti cœperunt Liturgia.

At jam olim longe ante Hispanos a propria desciverant Liturgia Gallorum Ecclesiæ, cum Romanos ritus illuc inferre a Sæculo VIII. conati sint Romani Pontifices; quibus faciliori negotio prospere cessit opus; cum Carolovingicorum Regum Dynastia Romanæ Ecclesiæ numini maximopere devota fuerit. Pipinus siquidem primus Carolovingicorum Rex operi manum admovit; hinc in Conciliis mixtis, quæ pro re nata indixit, Episcoporum etiam calculo Romanorum Rituum usum Gallicanis exposuit Ecclesiis; inceptumque perficere studit Carolus Magnus ejus filius, qui ea, qua in Galliarum Imperio pollebat auctoritate, Gallicanam Liturgiam abolere, pro viribus aggressus est. Verum, ut rerum omnium, quas longa firmavit consuetudo, conditio est, proprios ritus semel omnino non deseruit Gallicana Ecclesia, sed quo Imperatoris, atque Pontificis Romani mandatis obsequeretur, partim antiqua, partim Romana uti cœpit Liturgia. Quamobrem Sæ-

culo x. Leo VII. Romanus Pontifex Gallicanis queritur Episcopis de eo, quod adhuc Romanos inter, atque Gallicanæ Ecclesiæ ritus intererat, discrimine, epistola Hispanis, atque Gallicanis Antistitibus scripta, quæ habetur *to.* IX. Conciliorum Labei *p.* 118. At eas inter Romanæ Liturgiæ partes, quas primum amplexa est Gallicana Ecclesia, Gregoriani Sacramentarii Canon certe fuit; hinc sarta tecta cum cetera stetissent, unus initio immutatus est Gallicani Ordinis Canon. Hujus rei monumenta ipsimet sunt Liturgici Ordines Gallicani Sæculo VIII. recentiores. Ita Canon *Sacramentarii Gallicani* apud Mabillonium in Museo Italico, & alter *Liturgiæ Francorum* apud eumdem in Commentariis ad *Cursum Gallicanum*, idem est ac Gregoriani Sacramentarii ille, etsi ceteri ritus Gallicanæ Liturgiæ proprii sint. In aliis porro Gallicanæ Ecclesiæ Sacramentariis, pro Gotthicæ, ut ajunt, Liturgiæ more, unaquæque Missa proprium habebat Canonem. Hinc in primo Sacramentario, quod Mabillonius edidit, in una dumtaxat Missa, quæ *Missa Romensis Cottidiana* inscribitur, Romanus Canon habetur. Mabillonius

nius arbitratus est hoc Sacramentario Sequanas præsertim Ecclesias usas esse, penes quas primo fortasse obtinuere Romani ritus. At mihi videtur ex eadem illa *Missa Romensi* aliud inferri argumentum, Gallicanam nimirum Ecclesiam, quò Pontificibus Summis morem gereret, quotidie quamdam recitasse Missam cum Canone Romano, etsi tum festis forte diebus, tum pro Ecclesiæ cujusque genio, Gallicanæ Liturgiæ Canone etiam uteretur. Ipsis enim Sacramentariis *Gotthico Gallicano*, atque *Francorum* a Mabillonio, atque Tomasio editis nostra nititur sententia: In illis siquidem singulæ Missæ proprium habent Canonem, ut Gallicanæ Liturgiæ disciplina ferebat. At quid novi in Liturgicæ precis pro Principe disciplina irrepserit, expendamus. In Gallicana olim Liturgia e Dypticis Regis nomen recitasse Diaconum, vel ipsos Sacerdotes, diximus; hinc cùm Gallorum Ecclesia antiqua utebatur Liturgia, vetustissima etiam prece illam usam esse, non dubito. Quando autem Romanus Canon in veteri Gallicana obtinuit Liturgia, adhuc Dypticorum usus vigebat; qua de re in ipsomet Canone nulla est de Principe,

Pon-

Pontifice, vel Episcopo commemoratio; Gallicana enim Liturgia antiqua methodo ex lectione Scripturarum incipiebat, eamque Dypticorum lectio sequebatur, atque iccirco frustraneum fuisset, eamdem formulam Canoni ingerere. Ita se res habet in Canone Liturgiæ *Francorum*, quam secundo loco *Cursus Gallicani* edidit laudatus Mabillonius; in prima enim Canonis parte legimus: *Una cum omnibus Orthodoxis, atque Apostolicæ Fidei Cultoribus*, neque ulla habetur commemoratio nominum, cum hæc eidem præivisset Canoni, lectis Liturgiæ initio Dypticis. Hinc Mabillonii sententiæ accedere nequeo, quippe qui *Missam Romensem* in Gallicanis Sacramentariis obtinuisse opinatur ad VIII. Sæculum. In hujus enim Missæ Canonis prima parte Pontificis, atque Antistitis memoria habetur, minime quidem Regis illa. Itaque cum isthæc invaluit Missa, jam Dypticorum lectio evanuerat, siquidem in ipsomet Canone formula illa, pro ut in nostris legitur Missalibus, habetur. Id autem satis evincit, longe recentiorem illam esse ipso etiam IX. Sæculo, quo adhuc in Galliis Dyptica viguere. Plura de Missa Romensi

ſi dicemus in tertio tomo Hiſtoriæ Codicum Liturgicorum,

Itaque IX. occidente Sæculo ubique fere Eccleſiarum in Galliis Canon Gregoriani Sacramentarii invaluit; quare, fatiſcente Dypticorum diſciplina, jam tum nomen Regis Canoni adſcriptum eſt pro Romanæ Eccleſiæ illius ætatis more. Qui itaque de Eccleſiaſticis Rebus exinde ſcripſere Galli Auctores, precem pro Rege eam ob rem in ipſomet Canone fieri, docuerunt. Sane Gallorum Epiſcoporum primus illud teſtatur Agobardus, qui IX., quo nova iſthæc obtinuit in Galliis diſciplina, Sæculo floruit.

Sæculo X. Stephanus Æduorum Epiſcopus in tractatu *de Canonis declaratione* formulam precis pro Pontifice, Antiſtite, atque Rege refert. In duobus itidem mss. Ordinibus Sæculi IX., quos e Bibliotheca Regali edidit Martene, legimus: *Memento Domine Famulo tuo Rege Noſtro ill.* (b). Deinde Sæculo XII. idipſum docet Odo Epiſcopus Cameraci in Opere *de Canone Miſſæ* diſtinctione I. (c), in qua

(b) *Biblioth. Maſſima to.* VI. *p.* 335. *Edit. Pariſ.*
(c) *De antiq. Eccl. Ritib. to.* 2. *p.* 489. *Edit. Rotom.*

qua verba illa Canonis recitat: *Una cum famulo tuo Pontifice Nostro*, *& Antistite Nostro*, *& Rege Nostro*, atque Siglæ *N.*, quæ unamquamque commemorationem sequebatur, meminit. Jam enim, ut diximus, ea ætate Sigla *N.* obtinuerat. Eodem Sæculo scripsit Hildebertus Cænomanum Episcopus, qui metro Liturgica officia explicavit, cujus de Canone versus paragrapho VII. excripsimus. Sæculi XIII. disciplinam testatur Missale Monasterii Fiscamensis *ad usum Ecclesiæ Rothomagensis*, in quo Romanus habetur Canon, perinde ac formula precis pro Rege, de qua edisserimus. Idem est & Canon alterius Missalis ejusdem Fiscamensis Monasterii, atque Missalis Gemmaticensis *secundum usum Ecclesiæ Ebroicensis*, quorum utraque Sæculo XIV. exarata esse, Martene, qui illa publici juris fecit, nos docet. Tandem ad Sæculum usque XVI. illam stetisse in Gallicanis Liturgiis, quæ jampridem Canone Romano utebantur, formulam, testatur Missale Gallicanum *ad usum Ecclesiæ Messanensis*, editum Venetiis apud hæredes Junctæ Anno MDXXXVIII., quod assservatur in Bibliotheca S. Dominici Majoris Ordinis Prædica-

dicatorum Neapoli; in hujus enim Missalis Canone legimus formulam: *Una cum famulo tuo Papa Nostro, & Antistite Nostro & Rege Nostro N.*, ubi Sigla *N.* dumtaxat Regis nomini sequitur. Itaque ex Gallicanæ Liturgiæ historia, atque iis, quæ protulimus, Scriptorum illius gentis testimoniis colligere est, tum stante antiqua Gallicana Liturgia, tum postquam illius locum Romana tenuit, Gallicanam Ecclesiam pro Principe in Sacris Officiis nominatim precatam esse ad Sæculum usque XVI.

Inter Latinarum Liturgiarum vicissitudines, una sarta, tecta stetit Mediolanensis Ecclesiæ illa, quæ ab antiquo tradito Ordine discedere noluit, licet nil non molita sit, ut proprios illuc induceret ritus, Romana Ecclesia. Narrat enim Landulphus Senior in ms. Historia Episcoporum Mediolanensium, quam legimus apud Mabillonium, atque initio antiqui cujusdam Breviarii Ambrosiani: Carolo Magno Imperatore, Hadrianum I. Romanum Pontificem Romæ Concilium indixisse, in quo decrevit, Ambrosianum Ritum refigendum, eique Romanum subrogandum esse: Interfuit Concilio Impera-

tor,

tor, qui cum Pontificis decreto suum addidisset calculum, Mediolanum venit, atque omnibus Ambrosianæ Liturgiæ codicibus undequaque exquisitis, Mediolanensis Ecclesiæ Sacramentaria alia igni tradidit, alia tum Romæ, tum alibi misit. Hujus interea rei certior factus Eugenius Germanus Episcopus, vir qua pietate, qua scientiis sui ævi apud Imperatorem, cujus erat a Confessionibus, facile princeps, Carolo perspectam, exploratamque fecit Ambrosianæ Liturgiæ venerandam vetustatem, eumque ab incepto avocavit, ipsosque Episcopos, qui Romano adfuerant Concilio, ne nova molirentur, hortatus est. Quamobrem, instante nihilominus Hadriano, Carolus controversiam Divino Numini quodammodo decidendam reliquit. Hinc in Ara Ecclesiæ S. Petri Romæ collocatis tum Romanæ, tum Ambrosianæ Liturgiæ Codicibus, ambo obsignatis, eum Ritum sequi statutum est, quem ille contineret codex, qui per se primus reseraretur. At simul ambo resignati sunt, quo factum est, ut tum Romana, tum Mediolanensis unaquæque Ecclesia propria uteretur Liturgia. Hanc profecto Historiam, etsi nonnul-

nullas illa patiatur difficultates, fabellis accensendam non esse ducimus, cum re ipsa Romana Ecclesia frustra omnem collocaverit industriam Ambrosianæ Liturgiæ labefactandæ, ac idem ad nostram usque ætatem Mediolani fuerit Ambrosianus Ordo. In hac itaque Liturgia olim e Dypticis, deinde in ipsomet Canone preces pro Principe fieri consueverunt. Hinc in Ambrosianis Sacramentariis, quæ edidit Vicecomes (*a*), atque Pamelius (*b*) in prima Canonis prece hæc habentur: *Una cum Famulo tuo, & Sacerdote tuo Papa Nostro N., & Pontifice Nostro N., & famulo tuo N. Imperatore, sed & Regibus, & cæteris Orthodoxis, &c.* Vide hæc Sacramentaria recentiora esse, ut innuit Sigla illa *N.* In his autem precatio nominatim fit pro *Imperatore*, cui jam tum parebat Mediolanensis Ecclesia, universe deinde pro *Regibus* precatur illa. Eamdem legimus formulam in Missali Ambrosiano, jussu S. Caroli Mediolanensis Archiepiscopi typis excuso Anno MDLX., in quo post *Te igitur* legimus:

(*a*) *De Antiquis Missæ Ritib. p.* 91. *Edit. Ven.*
(*b*) *Liturgic. Latinor. to.* 11. *Edit. Colon. Allobr.*

mus: *Una cum famulo, & Sacerdote tuo papa nostro ill., & pontifice nostro ill., & famulo tuo ill. imperatore, sed & omnibus orthodoxis &c.* Desideratur heic deprecatio pro *Regibus*; nihilominus antiquius fuit hujus Missalis protypum illis, quæ evulgarunt tum Vicecomes, tum Pamelius. Hanc eamdem formulam in Ambrosianis Missalibus etiam num legere est.

Hactenus specimem dedimus historiæ casus Liturgiæ Musarabæ, atque Gallicanæ; brevi enim descripsimus, qua ratione earum vices tandem Romana præstiterit. Fusiori calamo de hoc edisserendum est argumento in Historia Codicum Liturgicorum, ubi & politicas etiam hujus rei rationes patefaciemus. Nunc vero satis habemus, inter maximas Liturgicarum rerum vicissitudines inviolatam ubique Ecclesiarum in Occidente precem pro Principe ostendisse.

§. XII.

§. XII.

Romana Liturgia, novis ritibus obnoxia, emendatur a Romanis Pontificibus Innocentio III., Nicolao III., atque Pio V. Formula precis pro Principe integra usque perstat in prima Canonis parte.

UNa itaque tandem omnium Latinarum Ecclesiarum, Mediolani illa excepta, fuit, eademque Liturgia, nimirum Romana: Summi enim Pontifices, qui tantam operam contulerant, quò Romanæ Liturgiæ fines ubique Ecclesiarum inter Latinos dilatarent, eò deinde studuerunt, ut illa solidiora jaceret fundamenta, ne aliquando Rituum ratio ad pristinam rediret conditionem. Hinc postquam omnes fere Occidentalium Ecclesiarum Episcopi Romam petiere *consecraturi*, Sacramento Pontifices obstrinxere illos, ne a Romanæ Liturgiæ ritibus discederent. Restat adhuc hujus jurisjurandi formula in capite III. libri VII. *Diurni Romani* a Garnerio editi, quo ea ætate utebatur Romana Ecclesia. Qui enim consecrandus erat Episcopus, conceptis verbis in aliquot capita jurabat, inter quæ &

 il-

illud erat, se numquam vel latum unguem discessurum ab iis ritibus, quibus Romana utebatur Ecclesia in omnibus plane Liturgicis Officiis. Ne dum itaque in posterum Romanam Latini omnes adhibuere Liturgiam, sed & illius mutationibus obsecuti sunt Episcopi, ut fidem exolvere, atque promissis stare viderentur.

Romanæ interea Liturgiæ Ordo post IX. etiam Sæculum novis increbuit additamentis, quibus haud parum immutatum est tum Mysticæ, tum Psalmodicæ Liturgiæ systema. Decimo siquidem Sæculo Notgerus, sive Notkerus, Leodiensium forte Episcopus, quasdam scripsit *prosas*, quas addidit tum Mysticis, tum Psalmodicis officiis; quod & passim alii, Notgeri forte exempla secuti, ita præstitere, ut tandem Sæculo XI. nova hæc, quibus laborabat, additamenta Romana Liturgia, quæque ipsummet affecerant Missæ Canonem, queratur anonymus *Micrologi* Scriptor capite XI. & XII. At tum X., tum XI. Sæculo integram perstitisse precem pro Principe in Romana Liturgia, præter ea, quæ dedimus, testimonia, plane evincit *Missa a Mattia Flacco Illyrico* edita, quam Sæculo IX. recentio-

tiorem esse, ostendit Cl. Bona, nosque decimo, vel certe undecimo exaratam Sæculo ex antiquo codice Liturgico mſ. Monasterii olim S.Petri ad Castellum, qui apud nos servatur, demonstraturi sumus primo tomo Historiæ Codicum Liturgicorum. In hac itaque Missa, qua tum Gallicanæ, tum Romana usæ sunt Ecclesiæ, plures pro Principe preces fiunt; Ac primo quidem novo omnino ritu Episcopus, qui Sacrum peragebat, populo *munera*, nimirum Sacrificii elementa offerente, hanc recitat orationem: *Tibi Domine Creatori meo offero Hostiam placationis, & laudis pro me, & pro Rege Nostro, & Antistite Nostro, ac cuncto populo Christiano, peto Domine, ut des nobis vitam æternam*. Deinde ipsemet Episcopus *oblata* Deo offerens, postquam *Apologiam* recitavit, dicit: *Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro Rege Nostro, & sua venerabili prole, & statu Regni sui, & pro omni populo Christiano, & pro eleemosinariis nostris, & pro his, qui nostri memoriam in suis continuis orationibus habent, ut hic veniam recipiant peccatorum, & in futuro consequi præmia æterna mereantur; per Dominum &c.* Tandem tertio nominatim precatur

catur ille pro Rege in ipsomet Canone ea formula: *& pro Rege nostro N. &c.* Ex his profecto colligere est, Sæculo XI. Ecclesiam ipsum Sacrificium pro Principe obtulisse, cum in *Oblationis* oratione, in qua illa singillatim suum declarat sensum, pro Rege Oblationem ipsam offerre, dicat.

Verum Sæculo XII. Scholastici, in quorum manus Divina, humanaque omnia quodammodo devenerant, Apostolicam hanc precem in quæstionem revocare ausi fuisse, mihi videntur. Illud autem conjecturis augurari licet, cum Sanctissima hujus precis indoles vel confidentissimam Scholasticorum Doctorum audaciam compresserit, ita ut nonnisi obiter hanc tractarint quæstionem, quin scriptis illam mandarent. Mea conjectura anonymi cujusdam testimonio nititur, qui ad XII. certe Sæculum scripsit. In Bibliotheca enim S. Dominici Majoris Neapoli servatur ms. Codex membranaceus, qui, ut characteres præseferunt, Sæculo XII. exaratus videtur. Hujus itaque codicis Auctor, qui totus in explicandis Romanæ Liturgiæ ritibus versatur, hæc loquitur, canonis verba, atque formulam precis pro Rege commendans: *Quod vero addunt quidam (quod)*

de

de Antistite, & Rege, nova traditio est; ubi (quando) orandum esse etiam pro Principibus docet Paulus ad Timotheum &c. Ex his sane verbis satis liquet obortæ quæstionis sententia. Cum enim Scholastici, pro illius ætatis genio, omni studio conarentur, Romani Pontificis gratiam turpi assentatione aucupari, ac si Summum Romanæ Cathedræ jus inficetis aretalogorum præstigiis indigeret, unam fortassis R. Pontificis *commemorationem* in Canone faciendam esse, eoque illam pro Rege, atque Antistite expungendam, opinarunt, atque *novam* dicere ausi sunt precem hanc, quæ cum ipsa coorta erat Liturgia. Verum irritus prorsus fuit Scholasticorum ille conatus, cum, quid quid effutirent illi, nusquam Ecclesia ex antiqua discesserit sententia, atque formula illa perinde usa sit in ipso Liturgiæ Canone. Perspicue enim id testatur ipsiusmet Romanæ Ecclesiæ Pontifex Innocentius III., qui eodem Sæculo, anno nimirum MCXCIX. libros scripsit *de Mysteriis Missæ*. Is profecto libri III. capite III. illius meminit formulæ: *pro Rege nostro &c.*, eamque inter Canonis preces, quibus Romana utebatur Liturgia, recenset,

atque maximam hujus precis pro Principe utilitatem commendat, apoſtolicamque illius originem a Paullo Gentium Apoſtolo pereleganter repetit. Eadem habet Rupertus Tuitienſis Monaſterii Coloniæ Agrippinæ Abbas, qui Sæculi XII. initio duodecim libris *de Divinis Officiis* Romanæ Liturgiæ Commentaria ſcripſit, quæ luculentiſſimis argumentis eidem Ruperto vindicavit Cl. Gabriel Gerberonius in *Apologia pro Ruperto*.

Eadem fuit Sæculo XIII. Liturgicæ hujus precis ratio, ſtante illa Canonis formula. Locupletiſſimi ſane teſtes ſunt S. Thomas, atque S. Bonaventura, qui eodem Sæculo ſcripſere, quorum primus in Commentariis ad ſecundam Paulli epiſtolam Timotheo, alter eamdem explicans epiſtolam, aperte meminere illius formulæ Liturgicæ, atque publicæ precis pro Principe. Guillielmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis eodem Sæculo, anno MCCLXXVI. edidit octo libros rerum Liturgicarum titulo: *Rationalis Divinorum Officiorum*, in quibus cum Rituum Romanæ Eccleſiæ, in qua diù verſatus erat, rationem, atque methodum explicare ſtudeat, hæc habet capite XXXIII. libri ſecundi nu-

numero XVII., de prima canonis prece edisserens, in qua R. Pontificis, Antistitis, atque Regis commemoratio fit: *Antistitis, & Regis personæ tanti momenti sunt, & ponderis, ut nominatim deceat eorum fieri mentionem*. Heic Durandus mihi videtur data opera de duarum *commemorationum* necessitate loqui, minime autem de Pontificis Romani illa, cum de hac nullum movissent dubium Scholastici, atque illas dumtaxat in dubium revocarent; hinc scribit, NOMINATIM fieri oportere Regis, & Antistitis *mentionem*.

Verum quamquam ne hilum quidem profecissent Scholasticorum conatus, quin Romana Liturgia, ut ut nonnullis obnoxia mutationibus, antiquas nihilominus servaret preces; medio tandem Sæculo XIII. enormes passa est illa vicissitudines, atque novam pene induisse methodum visa est. Pontifice namque Nicolao III. Fratres Minores, qui ejusdem Sæculi XIII. initio prodierant, ipsius Pontificis, qui magni illos habebat, suasu Liturgicorum Officiorum correctionem aggressi sunt. Tunc sane qua veteribus ritibus, qua novis in immensum Liturgiæ ordo excreverat. Psalmodica porro Liturgia innumeris

precibus aucta fuerat : accesserant & novæ sylloges psalmorum, qui recitandi quotidie erant, uti *Mortuorum officium*, atque *Virginis* Deiparæ illud : Diurnæ, nocturnæque Psalmodiæ sequebantur Psalmi Graduales, Pœnitentiales, Litaniæ, Suffragia, aliaque id genus pene multa. Hæc profecto inordinata Psalmodiæ methodus ex novis coagmentata fuerat additamentis, cum alia veteris Liturgiæ essent, alia e Cœnobitarum disciplina emersissent, alia tandem addita fuissent tum, cum, antiqua obsoleta Pœnitentiæ disciplina, novi canones *pœnitentiales* longam plerumque precum, atque Psalmorum recitationem induxerunt. Cum hæc igitur esset ea ætate Romanæ Liturgiæ conditio, ad compendium illam conferre primo studuerunt Fratres Minores: Illos sane, quos inter, atque antiquos Monachos magna erat disciplinæ distantia, haud parum intererat breviori uti Liturgia. At cum difficilem ipsis demandatam esse provinciam tandem senserint, antiquam Liturgiam iis accomodare officiis studuerunt, quibus tum Pontifex, tum Collegium Cardinalium utebatur. Innocentius siquidem III. Liturgicarum precum com-

compendium concinnaverat, titulo: *Libri Officiorum juxta morem Aulæ Romanæ*, quod tum Pontifex, tum Cardinales, tum reliqui illius Aulæ proceres in ipſa Capella Lateranenſi in poſterum adhibuerunt. Hinc initio antiqua Clero ſtetit Liturgia, atque nova hæc tum Aulæ Romanæ, tum Fratrum Minorum fuit. At Nicolaus III., penes quem maxima florebant exiſtimatione novi hi Fratres, priſtinos tandem Clericorum quot quot erant Liturgiæ Ordines antiquavit, & ut eos inter tum Rituale, tum Liturgicus Ordo Fratrum Minorum adhiberetur, juſſit. Jam tum itaque, ipſius Pontificis ſententia, Fratrum Minorum Liturgia velut Romanæ Eccleſiæ illa haberi cœpit, ita ut ad illorum præſcriptum tum Romana, tum ceteræ Latinorum Eccleſiæ Liturgicam rem moderatæ ſint.

Potiſſimæ hujus Romanæ Liturgiæ mutationis hiſtoriam Sæc. XIV. exaravit Rodulfus Tungrenſis in libro *de Canonum Obſervantia*, quem ea mente ſcripſit, ut late patentem novitatis libidinem Epiſcopi coercerent, antiqua ſtudioſius proſequerentur officia, neque præ ea, qua utebantur, invectam a Fratribus Liturgiam haberent.

Hinc

Hinc ille prima operis parte, Antiquorum Patrum, atque Canonum auctoritatibus veteris disciplinæ obsequium suadere Episcopis studet: altera, damna a Fratribus Minoribus Liturgicæ Rei illata enumerat. Nam, quod Psalmodiam interest, Sanctorum Patrum Homiliis apocrifas plerumque narratiunculas subrogarunt illi; sinceris Martyrum Actis, quæ inter Psalmos olim legebantur, fabulosas historias e commenditia Damasi *Chronica*, aliisque id genus *Pontificalibus* libris excerptas. Antiquas formulas precum, quas memoriæ tradiderant vetustissimi Christianorum, brevioribus aliis immutarunt. Præterea discrimen illud induxere inter ipsa Psalmodica officia, *ferialis* nimirum, atque *festivæ* Liturgiæ, antiquis plane inauditum. *Feriale* Officium antiquum dumtaxat psalmorum numerum complectebatur: *Festivum* vero pauciores secumferebat psalmos; quamobrem eo operam, studiumque omne contulerunt, quo major Anni Ecclesiastici pars *Festivis Officiis* absumeretur, ne longiori fatigarentur Psalmodia. Pari etiam ratione Missæ Ordinem novæ huic accomodarunt methodo; Ritus sane, quò breviores redderent, vel immutarunt, vel adul-

adulterarunt, vetustas orationes, quarum indolem rudi, qua illi erant, minerva comprehendere pares non erant; e Missa expunsere, atque omnem omnino pristinum illius Ordinem tempori quodammodo, atque hebeti eorum ingenio inservire fecerunt; ac quo tandem Gregoriani Sacramentarii, æstimabilis antiquæ Liturgiæ, quæ usque tum novitatis fato evaserat, monumenti, ordinem plane turbarent, *Missas communes* excogitarunt: Gregorianum enim Sacramentarium uniuscujusque Festi, vel Sancti memoriam peculiari Liturgiæ ordine prosequebatur. Fratres itaque ad communes quasdam classes Sanctorum memorias redegerunt, ut una eademque foret cujusque classis Liturgia; ex quo factum est, ut paucissimæ reliquæ fuerint antiquæ Missæ, cum novis illis *Missis communibus* omnis pene verteretur totius Anni Liturgicus Ordo. Quare Radulfus tandem ait: *Unde hodie Roma omnes libri (Liturgici) sunt novi, & Franciscani.*

Nova autem hæc Liturgicæ Rei methodus quamdam secumtulit mutationem in prece psalmodica pro Principe. Nam cum Fratres Minores, ut dictum est, anti-

antiquas orationes (quæ *preces* in Rubricis appellantur) vel abstulissent, vel breviassent, ea, quæ olim in unaquaque Psalmodiæ *Hora* recitabatur, precatio pro Rege in *Matutinis* dumtaxat *Horis* reliqua fuit. Qua de re raro has preces egit Ecclesia, cum perraro *Matutinas Horas feriales*, quas inter oratio pro Principe habetur, recitarent illi, festivis usi, ut diximus, officiis. Hinc pene evanuit antiqua illa Psalmodicæ Liturgiæ pars, oratio nempe pro Rege, cujus Chrysostomus meminit, eamque ab Apostolica traditione Ecclesiam derivasse testatur (*a*); integris etenim Mensibus Ecclesia *festivæ* vacabat Psalmodiæ, e qua Fratres orationem illam dispescuerant.

Eorum autem aliquos prophanas, ut ita dicam, manus in illam quoque orationem, quæ in Canone pro Principe fiebat, injecisse, argumento nonnulli fuit quorumdam Missalium Romanorum Canon. Sane in *Missali Romano* Anno MCCCCXCVII. Venetiis typis edito, atque in illo ibidem impresso Anno MDXXXIV., desideratur formula: *& pro Rege nostro N.* in prima

(*a*) *Vide* §. I. *pag.* 17.

ma Canonis parte. Verum hujus defectus caussam mox patefaciam, cum de S.Pii V. R. Pontificis *Correctione* edisseram. Nusquam enim altissimum Divini Numinis Consilium sivit, ea prece Liturgiam caruisse. Preterquamquod tum ex supra laudato Missali Gallicano-Messanensi Bibliothecæ S.Dominici Majoris, tum ex Eggellingo Brunsuicensi Theologo, formulam illam precis in Canone inviolatam ad XVI. Sæculum stetisse, plane colligimus. In illius enim Missalis Canone legimus formulam: *Una cum famulo tuo Pontifice Nostro N.*, *Antistite nostro*, *&* *Rege nostro N.* Eodem Sæculo scripsit *Expositionem Canonis Missæ* laudatus Egellingus, qui in XXIII. operis *lectione*, de prima Canonis prece locutus, ait: *Fit autem oratio pro dignitate Regis post orationem factam pro Papa*. Supra enim observavimus, alicubi orationem pro Principe illam, quæ pro R. Pontifice fiebat, sequi, atque tertiæ, quæ pro Antistite erat, præivisse. Præterea Eggellingi ætate hi, qui Apostolicæ hujus precis rationem, atque vim ignorabant, pro uno dumtaxat Imperatore preces Liturgicas fieri oportere, dictitabant, quare sequitur ille: *Ne-*

que

que refert in proposito utrum Imperator sit, vel non; ac tandem docet, formulam illam precis referri *ad Regem hunc, in cujus Regno Sacerdos celebrat, vel etiam Principem, Sæcularem supremum terræ, in qua celebrat*. Magni autem facienda est hujus Scriptoris sententia, cum *Expositionis Canonis Missæ* opus tum Egellingo, tum Gabrieli Bielo tribuendum sit. Gabriel enim Biel Theologiæ Professor in percelebri Academia Tubigensi Eggellingi scripta expendit, auxitque, ut in calce hujus operis ipsemet testatur. Præter hæc autem, quæ laudavimus, hujus precis testimonia prætereundum non erit potissimum illud, quod nobis suppeditat Synodus Augustensis Anni MDXLVIII. Eo siquidem Anno Otho S. R. E. Cardinalis, atque Augustanus Episcopus Kalendis Octobris Augustæ indixit Synodum, in qua Capite XXXI. hæc fertur lex: *Universis Sacerdotibus, & omnibus nostris subditis tam sæcularibus, quam regularibus injungimus, & mandamus, ut pro Santissimo Domino Nostro Papa Paulo III., ac Invictissimo Imperatore nostro Carolo V., cujus immortali beneficio hanc pacem, quietemque publicam debemus* (de statutis loqui-

quitur in Comitiis Augustanis ab Imperatore latis): *Pro Serenissimo Principe Ferdinando Romanorum Rege, ac aliis Principibus Catholicis, in Missis, Orationibus, & Concionibus suis devotissime precentur, populumque, ut idem faciat, hortentur; ut orthodoxam fidem, sedisque Apostolicæ, a quo Fidei Christianæ incunabula traximus, auctoritatem, ut hactenus factum ab eis fuit, ad gloriam Omnipotentis Dei tueantur*. Hæc in prima Canonis parte; in altera siquidem sanctiori itidem consilio jubet Synodus pro iis etiam Principibus in Missa, atque Orationibus Ecclesiam precari, qui a Catholica veritate discesserant. Id profecto statuendum fuit, ne fideles antiquæ Ecclesiæ disciplinæ ignari, pro Principibus ea de caussa precari vererentur. Hinc addit Synodus: *Et si qui* (Principes nimirum) *forte callidis adversarii nostri artibus in errores prolapsi, adductive sint, pro his una cum populo, atque in Sacris orent, ut in tempore resipiscant, atque ad pristinam Ecclesiæ Catholicæ unitatem, & obedientiam una cum populis sibi subjectis revertantur*. Hæc erat Sæculo XVI. Latinarum Ecclesiarum sententia, ac presertim Romanæ, e qua redux Car-

dina-

dinalis Otho Synodum Augustanam indixerat; quamobrem tum ex Augustana hac lege, tum ex Eggellingi, atque Gabrielis Bieli testimonio, tum etiam ex Missalis Gallicano-Messanensis, editi Anno MDXXXVIII., formula perspicuum est, ad Sæculum usque XVI. inter tot tantasque Liturgici Ordinis mutationes nil de Liturgica prece pro Principe immutatum esse.

At tandem ne privatæ in posterum libidini Liturgica Officia paterent, atque ut in meliorem redigerentur ordinem, Tridentini Concilii Patres curarunt. Hinc Liturgiam emendandam selectissimis nonnullis viris de Teologicis, Sacrisque melioribus literis optime meritis, tradiderunt. At cum illi ad exitum fere Concilii Patribus eorum opera obtulissent, neque id genus examini tempus vacaret, eam ob rem Concilium Anno MDLXIII. Correctionem tum *Breviarii*, tum *Missalis* ipsimet Romano Pontifici perficiendam demandavit. Opus statim aggressus est Pontifex Pius IV. collectis undique antiquioribus Liturgicis codicibus, quorum judicium clarissimis quibusdam viris commisit. At cum paulo post obiisset ille, Pius V., qui in Romana succes-

sit

ſit Cathedra, ut inceptum opus perficeret, iiſdem viris omnem Correctionis hujus curam demandavit; quos inter vel primi fuere Cardinalis Scottus, Egidius Foſcararius, aliique nonnulli e Clericis Regularibus. Hinc tandem Anno MDLXX., Pontificatus ſui quinto, S. Pius V. Miſſale Romanum, juſſu Concilii Tridentini correctum, edidit, lata hujus *Correctionis* Bulla, in qua juſſit, Ordines Liturgicos, quibus etiam tum uſi erant tam Cœnobitæ, Clerici Regulares, atque Fratres, quàm reliquæ omnes Latinorum Eccleſiæ, antiquari, atque ubique Eccleſiarum Romanum Miſſalę ab ipſo correctum adhibendum eſſe. Sic loquitur ille in laudata Bulla: *Mandantes, ac diſtricte omnibus, & ſingulis Eccleſiarum Patriarchis, Adminiſtratoribus, aliiſque Perſonis quacumque Eccleſiaſtica dignitate fulgentibus, etiamſi S. R. E. Cardinales, aut cujuſvis alterius gradus, & præminentiæ fuerint: illis in virtute S. Obedientiæ præcipientes, ut ceteris omnibus orationibus, & ritibus ex aliis Miſſalibus, quantumvis vetuſtis, hactenus obſervari conſuetis, in poſterum penitus omiſſis, ac plane rejectis, Miſſam juxta Ritum, modum, & normam, quæ*

 per

per Missale hoc a nobis nunc traditur, decantent, ac legant; neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumant. Ne autem ullus esse videretur antiquioribus Liturgiis præ Romanæ correctionis hujus illa, in posterum locus, Pontifex tandem addidit: *Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac in provincialibus, & synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus; nec non Ecclesiarum prædictarum usu longissima, & immemorabili præscriptione.*

Universalis autem hæc lata a Pontifice lex Latinas non parum movit Ecclesias, perinde ac Monachorum, atque Fratrum Collegia, cum ægre ferrent antiquæ, qua diu usæ erant, valedicere Liturgiæ, novamque semel omnino amplecti *Correctionem*. Hinc de nova hac lege apud Pontificem conquestæ sunt, qui iis, quæ protulerant Monachi potissimum, argumentis victus, legi subrogavit; eisque indulxit, pristina uti Liturgia, modo biscentum annis eam adhibuissent; quare Bullæ addita fuere illa: ***Non tamen supra ducentos annos***, atque

ea

ea ratione Ecclesiis, atque Monachis antiquus Liturgiæ Ordo, quo a biscentum annis usi erant, reliquus fuit: ceteri autem Ordines, qui recentius prodierant, Bullæ obsecuti, Romanum *Correctionis Missale* amplexi sunt. Inter Monachos itaque S. Benedicti, eosque omnes, qui illius profitebantur Regulas, inter Fratres Ordinis S. Dominici, quippe qui vetusta Carthusianorum Liturgia utebantur, atque Carmelitas, antiqua stetit Liturgiæ methodus; cum unus dumtaxat Augustiniensium Fratrum Ordo, etsi antiquiorem haberet Liturgiam, novam amplecti ultro maluisse videatur.

Quod autem Latinas spectat Ecclesias, si Italiæ nonnullas excipias, ceteræ Romani Missalis Correctionem sequi renuerunt, antiquæ, quibus jam tum usæ erant, Liturgiæ vestigiis firmius adhærentes. Quamobrem ipsimet Gallicanæ Ecclesiæ Episcopi Correctioni operam dedere, atque tandem Missale ediderunt *juxta reformationem Concilii Tridentini*. Neque ejusmodi Missale ubique Ecclesiarum obtinuit, nisi postquam Regia auctoritate *Correctio* probata fuit; id quod testatur Regium Rescriptum Anni MDCIII. Canonicis Ec-

clesiæ SS. Trinitatis Andegavensis datum, qui cum Missale, a Carolo Mironio Andegavi Episcopo emendatum, recipere nollent, Regi quæstione delata, Rex ipsemet decrevit, in posterum nonnisi eam tum Breviarii, tum Missalis correctionem adhibendam esse, quam suo probasset calculo, cui & Metropolitani accederet sententia (*a*). Eadem prorsus ratione Episcopi Germanicarum, Hispanarum, aliarumque Ecclesiarum, antiquo, atque nativo jure usi, Liturgicos ordines emendarunt, neque Romanam amplexi sunt *Correctionem*; cui equidem operi jam pridem manum eorum nonnulli admoverant, ut demandatæ ipsi a Tridentino Concilio correctioni satis facerent; quod perspicue, ut sexcenta id genus præteream, fatetur Maximilianus a Bergis Archiepiscopus, atque Dux Cameracensis, Sacrique Imperii Princeps in Synodo Provinciali, quam Cameraco habuit Anno MDLXV., altero nimirum anno a soluti Tridentini Concilii illo.

Antequam autem, num novi aliquid in

(*a*) *Vide Fevret Traitè de l'abus etc. lib.* III. *cap.* III., XI., & XII.

in Liturgica prece pro Principe Romana hæc induxerit Correctio, expendamus, ex iis, de quibus hactenus edisseruimus, colligere est, nullum esse dubitandi locum, quin antiqua precatio pro Principe in Missæ Canone sarta tecta steterit post Romanam Correctionem in Gallicanis, Germanis, Hispanis, aliisque nonnullis Italis etiam Ecclesiis; cum illis reliqua prorsus fuerit antiqua Liturgia, in qua jam tum formulam precis, de qua nobis sermo est, haberi, selectissimis argumentis hactenus demonstravimus. Quamobrem ambiguum eamdem ob rem non erit, Antiquos Benedictini Ordinis Monachos, S. Dominici Fratres, Carmelitas, aliosque, qui biscentum annis vetustiori utebantur Liturgia, formulam illam precis pro Principe in Missæ Canone recitasse, quam a Majoribus suis una cum ipsamet Liturgia traditam acceperant.

Verum Nova Romani Missalis correctio a Pio V. evulgata novitati in Liturgica prece pro Rege occasionem quamdam, invita tamen, præbuit: quamquam Romanum Pontificem Apostolicæ huic preci derogare ausum esse, nemo, cui sana mens est, opinabitur. Pontifex siquidem Ro-

manum edidit Missale Anno, ut dictum est, MDLXX., cui Correctionis Bullam præmisit. Illud autem protypum Missale ad Romanæ, aliarumque Ecclesiarum, quæ Patrimonii Romani erant, mores accomodaverat. Quamobrem cum tum Romæ, tum aliis in Ecclesiis, quæ Romanæ sunt ditionis, unus idemque Pontifex Supremo utriusque potestatis jure polleat, ne dum supervacaneum, sed indecorum fuisset, ut in eo Missali, quo illæ utendæ erant Ecclesiæ, formula: *& pro Rege nostro* haberetur. Quisnam is esset Rex, pro quo nominatim precarentur illæ, quibus Romanus Pontifex & Princeps erat? At eamdem hanc recte ordinatam Liturgiæ methodum cum bene non intellexissent ceteræ Ecclesiæ, quæ Romanam secutæ erant Liturgiam, etsi e Patrimonii Romani ditione minime forent; primum inconsultò, mox injuria, tandem fucata quadam Relligione Regis nomen, atque antiquam pro illo deprecationem omnino præteriere.

Initio siquidem Italiæ nonnullæ Ecclesiæ, quæ propriis parebant Principibus, Romano uti cœpere Pii V. Missali, neque defectus formulæ illius: *& pro Rege*

No-

Nostro N. rationem rimatæ, præsertim cum piaculum illis fore videretur, aliquid præter ea, quæ in ipsomet legebantur Missali, addere, temere formulam illam reticuere. Injurio autem huic silentio potissimam caussam dedit Missalium editio. Sane a *Correctionis* ævo, perinde ac præcedenti Sæculo, omnes fere Italicarum Regionum Ecclesiæ Missalia propriis typis excudere neglexerant, cum iis uterentur, quæ e Venetis prodirent Officinis. Venetiæ autem Missalia omnia (præter illa, quibus Reipublicæ Ecclesiæ utebantur, ex quibus formula: *&* *pro Duce nostro N.* nusquam exciderat) ad Romani illius protypi normam excudebantur; hinc quemadmodum in illo formula precis pro Principe desiderabatur, ita & ab iis, quot quot illuc edita fuere, Missalibus eadem defuit formula. Quod si aliquis, cui quanam de caussa illa desideraretur formula in Missali Romanæ Ecclesiæ perspectum satis non erat, de addenda antiqua ea prece aliquando cogitavit, moras certe ei fecere illa Bullæ verba: *Neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quam quæ hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsu-*

 mant,

mant, quibus ſane Pontifex aditum novis dumtaxat ritibus intercludere, curaverat, nuſquam autem antiquam illam abrogare Apoſtolicam precem.

Itaque Pontificis ſententia, atque Correctionis ratione parum, vel ne parum quidem intellecta, Italiæ nonnullæ Eccleſiæ (quarum incuriam numquam ſatis criminari erit) formulam illam *& pro Rege Noſtro N.* neglexerunt. Quamobrem progreſſu ætatis res, quæ initio, quà inconſulto Pontifice, quà inordinato Relligionis ſtudio, invaluerat, firmiores agere radices cœpit ardelionum quorumdam opera, qui docuerunt, nonniſi ex Pontificis Romani *privilegio* Regis Nomen in Canone recitare fas eſſe, ut apud Caſtaldum legimus *lib.* II. *lect.* VIII. *cap.* VI. Hanc turpi prognatam ignorantia, veteribuſque inauditam doctrinam tradere deinde veriti non ſunt aliqui ex recentioribus Rubricarum Scriptoribus, ut Gavantus, atque Septala fecere. Primus ſiquidem in ſuo *Sacrorum Rituum Theſauro par.* II. *tit.* VIII. confidenter docet, data opera Pium V. Pontificem e Canone Regis Nomen expungendum decreviſſe, ut eò Eccleſiarum dumtaxat recitaretur, quibus

pecu-

peculiari privilegio illud idem Rom. Pontifex decrevisset, ac tandem addit: *Pius tamen V., qui nihil addi voluit, concessit nominari in Canone Regem in Hispaniis; nihil ergo tu addas sine Papali auctoritate contra Pii V. Bullam*. Per hujus vestigia ingreditur Septala Dertonensis Episcopus in opere de *Mysteriis Missæ*, quod italico idiomate exaravit. Is enim capite XXVIII. *num.* XXVI. dum de more sanctioribus ritibus mystica, inani nimirum, methodo explicandis frustra desudat, quis Regum Hispanicorum id genus *privilegium* a Pio V. impetrarit, suo marte nos docet, ait enim: *Postquam Filippus II. Hispaniarum Rex a Pio V. Summo Pontifice privilegium impetravit, quo in Regnis, quæ possidet, nominatim pro Rege, ejusque Principatu precaretur Ecclesia, in Ambrosiano Ritu obtinuit illa formula: Pro Rege, & Duce Nostro*. Cujus apocriphæ, ac prorsus fabulosæ historiæ Gavantum laudat auctorem, atque ipsius Pii V. Bullam. At quis non demirabitur scriptoris certe impudentiam? Quid sane dixerit Gavantus jam vidimus, ejusque nullius plane momenti verba excripsimus. Sed neque illa, quæ a Septala laudatur, Bulla

Bulla extat; etsi enim omnes volutarim Bullarum Pii V. Sylloges, etsi omnes pene legerim hujus Pontificis Bullas, tum in Bullario Romæ edito, tum in illo Venetiis absoluto, tum in Ordinis Prædicatorum Bullario, neque vestigium, neque vola hujus confictæ Bullæ invenire mihi fas fuit.

Verum, ne commentitiis hisce argumentis refellendis operam abuti videar, satis erit, tum Theologorum ejusdem Romanæ Ecclesiæ sententias, tum Ecclesiarum omnium Latinorum disciplinam, brevi expendere, ex quibus liquido constat, etiam post Pii V. correctionem ubique Ecclesiam nominatim pro Rege in Canone Missæ precatam esse, neque umquam *privilegium* illud postulasse pro Apostolicæ hujus precis officio. Bellarminus enim S. R. E. Cardinalis, qui suum scripsit Controversiarum opus sexto post Correctionem Pii V. anno, nimirum Anno MDLXXVI., atque illud Xisto V. nuncupavit, hæc habet: *Nomen Regis recte etiam adjungitur* (Canoni nimirum, de quo illuc sermonem instituerat) *in iis locis, qui Regibus subsunt; nam & Innocentius III., & Bonaventura in explicatione*

tione Canonis agnoscunt hanc vocem, & omnes antiquæ Liturgiæ id servant, & ex Apostolo I. *ad Timotheum c.* II. *id colligunt Ambrosius Lib.* IV. *De Sacramentis c.* IV., *& Augustinus epist.* LXI. *ad Paulinum*. Ne verbum heic animadvertes vel de privilegio, vel de conficta S. Pii V. Bulla, cujus si aliquid extitisset, cur illud preteriisset Bellarminus, qui Romæ sexto a Correctione anno scribebat, non video. Eamdem universe, atque ubique Ecclesiarum fieri precationem, testantur Franciscus Suaresius, qui Theologicum opus R.Pontifici itidem dicavit, atque quot scripsere tum Romæ potissimum, tum alibi, post evulgatas Missalis Pii V., Clementis VIII. atque Alexandri VIII. correctiones. Quamobrem in omnibus tum Germanis, tum Hispanis, tum Gallorum Ecclesiis antiqua stetit disciplina, neque a Canone illa unquam defuit formula precis pro Principe; id quod cum omnia testentur Sæculi XVI., atque XVII. illarum Ecclesiarum Missalia, lubet uno confirmare Synodi Pragensis testimonio, quod ad rem apposite redire arbitror. Anno enim MDCV. Sbigneus Berka Pragensis Archiepiscopus Synodum Archidiœcesanam Pragæ indixit, in

in qua Tridentini Concilii leges propriæ accomadare Ecclesiæ studuit. In capite itaque *de Sacrosanto Missæ Sacrificio*, hanc tradit legem: *Antiqua, & laudabilis hujus nostræ Ecclesiæ consuetudo orandi in Missarum celebratione pro Papa, Antistite, Rege, ac Regina, perpetuo servetur, ac pie retineatur*. Hinc ad nostram usque ætatem una est eademque omnium Occidentalium Ecclesiarum disciplina, cum in Missæ Canone ubique legatur illa vetustissima formula: *Et pro Rege Nostro N.* Unde maximis prosequendum est laudibus Inclyti Regis Nostri Ferdinandi IV. (quem Deus æternum sospitet) sanctissimæ hujus precis studium, quippe qui Canoni antiquam formulam restitui jussit in editione Missalis Romani, Neapoli typis Simonianis facta; nam etsi nos inter Monachi, atque Fratrum quorumdam Ordines antiquam legerent in Canone formulam, ceteræ nihilominus Ecclesiæ, quæ Missalibus Venetiis impressis utebantur, Canonem ea in re mancum habebant.

Romanæ itaque Liturgiæ vicissitudinum brevi pro viribus historiam complecti studui, ut splendidius inde argumentum pro Christiana prece, de qua adhuc locuti su-

ſumus, argumentum colligerem. Quemadmodum enim Precatio Liturgica pro Principibus, ab Apoſtolo Paullo, Sacræ Liturgiæ magiſtro, tradita, atque cum ipſo Sacrificii Divino apparatu coorta, firma, atque ſarta ſteterat primis Eccleſiæ Sæculis tum, cum illa immani Imperatorum genio patebat: neque vel hæreticorum audacia, vel ignorantiæ peſtis, quæ mala aliquando in Eccleſiam graſſata ſunt, vel latum quidem unquam antiquam turbarint Apoſtolicam hanc precem; ita neque inter ipſas Liturgicarum rerum viciſſitudines, novitatis aliquid paſſa eſt illa, quæ, Præſentiſſimi Numinis conſilio, ad noſtram uſque ætatem ubique obtinuit Eccleſiarum, æternumque obtinebit, cum quod Apoſtolus docuit, Martyres confirmarunt, Omniſque ætas coluit, quin a Liturgia aliquando excedat, pertimeſcendum minime ſit.

§. XIII.

§. XIII.

Ab Ecclesia condita Christiani Liturgicis officiis Imperatorum Solemnia prosequuntur. De Missis, ut ajunt, Votivis *pro Rege; deque ceteris, quæ sparsim inter Liturgica officia habentur, pro Principe precibus.*

CUm hactenus tum de publica, tum de privata prece pro Principibus locuti simus, atque hujus Apostolicæ Traditionis morem ubique gentium sartum tectum ad novissimam hanc usque ætatem stetisse ostendimus; nunc tandem de iis edisserendum nobis est precibus, quas Christiana Ecclesia tum primo, tum medio ævo pro re nata egit, vel cum solemnia Imperatorum Natalitia, vel cum illorum Quinquennalia, etc. coleret; ac tandem de iisdem nonnulla adtexere precibus, quibus illa assiduam operam contulit, quoties Sacra peregit officia.

Altero Ecclesiæ Sæculo Tertullianus testatur, jam tum Christianos solemni quodam Liturgiæ apparatu Imperatorum *Solemnia* prosecutos esse, etsi a prophanis abhorrerent Paganorum cæremoniis: *Propterea,*

rea igitur, ait ille (*a*), *publici hoſtes Chriſtiani, quia Imperatoribus neque vanos, neque mentientes, neque temerarios honores dicant; quia veræ Relligionis homines etiam ſolemnia eorum conſcientia potius, quam laſcivia celebrant*. Deinde quibus Pagani Imperatorum feſtos dies proſequerentur lætitiæ argumentis, explicat, atque ea damnat, quæ ad fallendos Imperatoris oculos ab iis fiebant, qui corde illum vel odiſſe noverant. Cum autem Tertullianus aperte fateatur, Chriſtianos tunc *Imperatoris Solemnia* celebraſſe, ambiguum non erit peculiari quadam ratione inter Liturgica officia Imperatori bona precari ſolere tum, cum vel Illius Natalitia, vel Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia, atque Tricennalia fierent. *Conſcientia* autem Chriſtianos id genus feſta celebraſſe, ideo ait Tertullianus, quod latum pateret eos inter, atque Paganos diſcrimen, cum hi fronte tenus, illi intimo corde iis operam navarent officiis, quibus, ut Apoſtolus ait, teneri ſe noverant *ου μονον δια την οργην αλλα ϗ δια την συνειδησιν*, *non propter pœnarum*

(*a*) *Apolog. c. xxxv. Edit. Venet. p.* 108.

num metum, sed & propter intimam conscientiam. Ex eodem itaque Tertulliani contextu satis liquet, ita Christianos Liturgica omnia complecti Imperatoris officia in festis diebus, ut abhorrerent nihilominus a publicis illis festivis signis, quibus utebantur Pagani; quemadmodum erant corollarum, florumque sparsio, lucernæ per Civitatem accensæ, aliaque id genus multa. Summa profecto Christianorum relligio, qua hi quid quid paganorum erat; longe refugisse videntur, ab externis hisce signis illos tunc prohibuit: quandoquidem, reddita pace, Ecclesia neque fidelibus festiva hæc interdixisse argumenta, historia testatur; quamquam heic animadvertendum perinde sit, quarto adhuc Sæculo, eadem superstite disciplina, ab ejusmodi festivo apparatu abstinuisse Ecclesiam, ut testatur Gregorius Nazianzenus in altera Oratione contra Julianum Imperatorem: *Nec floribus*, ait, *plateas coronemus, nec unguentorum turpitudine mensas, nec vestibula ornemus, nec visibili lumine splendescat Domus, nec tibicinum concertu, plausibusque personent: hic enim gentilitiæ festorum celebrationis mos est*. Verum post V., atque VI. Sæculum passim hæc inter ipsos

ipſos invaluere Chriſtianos, qui cum unam, eamdemque profiterentur Relligionem, neque ulla eos inter ſupereſſet Idololatriæ ſuſpicio, veriti non ſunt his etiam ſignis publica ne dum Imperatoris, ſed & ipſius etiam Relligionis feſta proſequi: quod ad noſtram uſque ætatem paſſim fieri videmus.

Quamobrem neque ipſa verita eſt Eccleſia a IV. etiam Sæculo tum dies natalitios Principum feſtivo quodam apparatu celebrare, tum Imperatoris quinquennalia, decennalia, &c. De Natalitiis diebus luculentiſſima habemus monumenta apud Cangium in Diſſertationibus De Numiſmatibus medii ævi. Apud Græcos exſtant adhuc in antiquis illorum Eucologiis orationes Liturgicæ, quæ in anniverſaria die *aſſumptionis* ad Imperium pro Imperatore recitandæ erant. Ita, & Conſtantino Magno Imperatore, ejus Decennalia, Vicennalia, Tricennalia ipſamet celebravit Eccleſia: quamquam enim ab Auguſti ætate id genus feſta Idololatrico proſequerentur ritu Pagani; Conſtantinus attamen eadem celebrari maluit, ſed Chriſtianis ritibus, feſta; ut perbelle teſtatur oratio illa, quam Euſebius Pamphilus

in Constantini Tricennalibus recitavit: Hinc ejusmodi stetere festa ad ætatem usque Constantii Imperatoris, qui forte ultimus antiquum confirmationis Imperii ritum in *quinquennalibus* celebravit, ut dilucide probant Lipsius (*a*) atque Demsterus (*b*).

Maximæ autem esse vetustatis publica hæc lætitiæ signa, innumera pene nos docent monumenta. Hebræos enim inter id genus signa obtinuisse novissima hujus gentis ætate docet Persius, qui de solemni apparatu locutus, quo Hebræi diem Herodis natalem prosecuti sunt, ait:

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas . . .

Sic in quarto Macchabæorum libro Antiocho Hierosolymam ingredienti eadem festiva signa obtulere Hebræi. Nam Orientalibus fere omnibus vetustissima erant illa, ut de Assyris, Persis, Græcis, atque Romanis testantur Auctor Historiæ Judithæ cap. III., Herodotus Historiæ Lib. VIII., Phi-

(*a*) *Epistolar. Lib. II. Quæst.* XV.
(*b*) *Antiquit. Roman. Lib.* V. *c.* XXII.

Philo in altero *De Ritibus Mosis* libro; atque Plutarchus in Vita Pompej. Hinc celebris fuit apud antiquissimas gentes τῆς φυλοβολίας, atque θαλλοφορίας usus. Ex his forte conjectura augurandum erit, Christianos primis Sæculis, quibus adhuc Idololatria politica Imperii jura sequebatur, ac quarto etiam Sæculo, ab illis abstinuisse lætitiæ signis, eaque veluti Sanctissimæ Relligioni injuria damnasse; id quod cum Tertullianus inter Latinos, atque Gregorius Nazianzenus Græcos inter testati sint, sublestæ fidei nobis esse videntur Acta S. Silvestri, in quibus quarto exoriente Sæculo Christianos ejusdem signis usos esse legimus. Quæ autem Cedreno de eodem argumento edisserenti adjicienda sit fides in Historia Heraclii Imperatoris, in re critica eruditi norunt. Cùm itaque tandem, ut dictum est, Idololatria deturbata, ac plane antiquatis ejus ritibus, palam Christiana florere cœpit Relligio V., & VI. Sæculo, jam tum Christiani hisce publicis lætitiæ signis in re quoque Sacra usi sunt. De illis vero publicis precibus heic dicendum mihi esset, quas adhibuit Ecclesia in Imperatorum inauguratione, aliisque ejus fe-

X 2 stis,

ftis : at fatis erit illas delibaffe in τοῦ πολυχρονίου explicatione ; cum fufius de iis edifferam fingulari quadam Differtatione de Regis, atque Reginæ inauguratione, atque unctione, quæ ad calcem alterius tomi meæ Hiftoriæ Codicum Liturgicorum adtexere ftatui.

Nunc de Miffis, ut ajunt Rubriciftæ, *votivis* pro Rege aliqua addam. In omnibus pene antiquioribus Sacramentariis, de quibus fupra locuti fumus, habetur *Miffa pro Rege*. Hanc autem Miffam *Votivam* appellarunt Liturgici Scriptores ; quo fane nomine hi veniunt Liturgici Ordines, qui certa die recitandi non funt, fed pro re nata adhiberi poffunt. Medio autem ævo alia plane erat id genus Miffæ difciplina ; fiquidem tum eadem die Sacerdos Miffæ diei propriæ poftquam operam dederat, privatim etiam alias miffas recitare ei fas erat pro fidelis cujufque pia mente, atque confilio. Quamobrem medio ævo Miffæ *votivæ* invaluere, eafque Sacerdos privatim recitabat, clerici quandoque unius opera ufus ; quam ob cauffam neque, cum illam recitaret, confuetam de more difcedendi veniam populo Sacerdos faciebat illis : *Ite Miffa eft*, ut

ut animadvertit Cl.-Vertius. Cum itaque medio ævo Sacramentaria Missam hanc Votivam pro Rege haberent, ambiguum non erit, jam tum quotidie recitari consuevisse Liturgicum hunc pro Rege ordinem, cujusmodi fuisse tum indolem, tum usum Missæ Votivæ diximus. In Gelasiano itaque Sacramentario, quod Muratorius ex codice, ut dictum est, Sæculi fere VII. excripsit, libro III., numero LXII. hæc habetur Missa pro Rege, quæ tribus de more continetur Orationibus. I. *Deus Regnorum omnium, & Romani maxime Imperii protector, da servis tuis Regibus nostris (illis) triumphum virtutis scienter excolere, ut cujus constitutione sunt Principes, ejus semper munere sint potentes. Per Christum, &c.* II. Sequitur altera Oratio, quæ dicitur: *Infra Actionem = Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui (Illius), quam Tibi ministerio officii Sacerdotalis offerimus pro eo, quod in ipsum potestatem Imperii conferre dignatus es, propitius, & benignus assume, & exoratus nostra obsecratione, concede, ut Majestatis tuæ protectione confidens & ævo augeatur, & Regno. Per Christum &c.* III. Tertia tandem Oratio

 dici-

dicitur : *Post Communio = Suscipe, Domine, preces, & hostias Ecclesiæ tuæ pro salute famuli tui (Illius) supplicantis: & in protectione fidelium Populorum antiqua brachii tui operare miracula; ut superatis pacis inimicis, secum tibi serviat Christiana libertas. Per Christum &c.* Hæc forte mihi videtur antiquior Missa Votiva pro Rege, in qua singulis orationibus nominatim pro Rege precabatur Sacerdos; ubi enim illam legimus vocem (*illius*), eo loci nomen Regis recitabat Sacerdos. In omnibus itidem Sacramentariis Gregorianis antiquioribus hæc habetur & Missa, tum apud Menardum, tum apud Pamelium, Muratorium, Lambecium, aliosque, qui vetustiores hujus Sacramentarii Codices edidere, quæ tribus etiam orationibus constat, quarum sic se habet I. : *Quæsumus, Omnipotens Deus, ut famulus tuus (Ille) Rex noster, qui tua miseratione suscepit Regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa: quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra devitare, & hostes superare, & ad Te, qui via Veritas, & Vita es, gratiosus valeat pervenire.* II. *Secreta -- Munera, Domine quæsumus, oblata*

lata sanctifica : ut & nobis Unigeniti tui corpus, & Sanguis fiant ; & Regi Nostro ad obtinendum animæ, corporisque salutem, & peragendum injunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per &c. III. *Post Communio -- Hæc, Domine, oblatio salutaris famulum tuum (Illum) Regem nostrum cum collecto Clero, & populo sibi commisso ab omnibus tueatur adversis : quatenus, & Ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, & post hujus temporis decursum, ad æternam perveniat hæreditatem. Per, &c.* Easdem ferme orationes etiamnum habet *Missa pro Rege* Missalis Romani, si ea excipias primæ orationis verba : *Et hostes superare*, quæ in nostris Missalibus desiderantur. Ad Correctionem usque S. Pii V. illa etiam stetisse verba in prima oratione, colligere est ex Missali membranaceo, ipsa correctione antiquiori, *Humberti Romans* Ordinis Prædicatorum, in quo & illa habentur. In tertia etiam oratione desiderantur in Nostris Missalibus illa : *cum collecto clero, & populo sibi commisso*, quibus post eamdem correctionem mancam fuisse tertiam illam Orationem, ambigendum non erit. Hanc autem Missam *pro Rege*, qua et-

jamnum utimur, nono Sæculo recentiorem esse, atque Gregoriano Sacramentario sero additam, certum, compertumque habeo, tum ex orationum stilo, tum ex aliis notis, de quibus in eadem, de qua dixi, Historia fuse edisseram. Unum autem in Missa *pro Rege* Sacramentarii Gelasiani observatu dignum prætereundum non erit, inter illas nimirum, quibus missa hæc coalescit, orationes, alteram *Infra-Actionem* appellari: Vigilius siquidem R. Pontifex epistola ad Profuturum (*a*) nos docet, iis dumtaxat Missis, quæ vel solemnioribus recitandæ forent diebus, vel quæ Ecclesiæ maximi momenti vota complecterentur, peculiarem quamdam orationem in *Infra-Actionem* adjungi solere. Quamobrem ex hoc Gelasiano Ordine quanti momenti Missam hanc pro Rege fecerit Ecclesia, dilucidius intelligimus.

In Sacramentario Abbatis Grimoaldi penes Pamelium (*b*) duas quoque legimus *pro Rege* Missas. Prima hunc præsefert titulum: *Missa quotidiana pro Rege*, quæ ne

(*a*) *Epist. Vigil. ad Profutur. ap. Mabill. Mus. Ital. to.* 11. *p.* 48. *Edit. Paris.*

(*b*) *Liturg. Latin. to.* 11. *p.* 427. *Edit. Colon. ap. Dacher. Spicil. to.* IV. *p.* 43. *Edit. Paris.*

ne latum quidem unguem a Sacramentarii Gregoriani illa differt. *Quotidiana* certe appellatur, cum singulis diebus hæc fieret Liturgia. Medio profecto ævo etsi ubique fere Ecclesiarum quotidiana hæc pro Rege invaluerit Liturgia; in Hispaniis nihilominus, atque Galliis peculiari quadam ratione obtinuisse, colligimus tum ex Canone laudato Concilii Toletani: *Ut Sacrificiorum libamina quotidie pro Rege, & Regia stirpe celebrentur*; tum ex antiquis *Statutis* Monachorum Cluniacensium apud Dacherium (a): Ih his siquidem habetur: *Missa quotidiana pro Regibus Hispaniarum*, & *Missa quotidiana pro Regina*; quam porro disciplinam Cluniacenses Monachos e Galliis, unde Hispanos inter venerant, secum tulisse, nemo inficias ibit; cum ipsi Galliarum Reges eo veluti pacto *privilegia* monachis indulgere solerent, ut nimirum quotidie pro Principe singularem peragerent Liturgiam; quod & ex iisdem laudatis Consuetudinibus Cluniacensibus, & ex *privilegio* Ludovici II. Monachis Trinitatis indulto liquet, in quo

(a) *Consuet. Cluniacens. lib.* 1. *c.* VI.

quo Rex illis, tres quotidie Miſſas celebrare pro Principe, jubet (*a*).

Hinc in Gallicanis Sacramentariis Miſſam hanc Votivam pro Rege habemus: Unam autem ejuſmodi Miſſam heic excribere non piget, quippe quæ Eccleſiæ ferventiſſima ſtudia erga Principem luculentiſſime teſtatur, atque ceteris omnibus, quæ in Gallicanis illis Sacramentariis exaratæ leguntur, antiquior eſt, ut habetur in Sacramentario Gallicano Mabillonii Muſei Italici *tom.* 1.

Missa Pro Principe.

Regem Regum, atque cunctorum Regnantium Dominum Deum Omnipotentem, ſub cujus nutu, & virtute univerſa Regna terrarum pia moderatione ſubſiſtunt, fratres dilectiſſimi, unanimiter deprecemur: ut Principem noſtrum tali jugiter tueatur auxilio, quali Abraham quondam cum trecentis decem, & octo vernaculis ſuis de quinque Regibus cum phalangis proſtratis victoriam referentem, mirabiliter ſalvavit cum triumpho. Ut nepotem ſuum Loth, & prædam gaudens propria reduceret ad lo-

(*a*) *Ex Chron. Caſaurinen. ap. Dach. t.* v. *p.* 61.

loca: ita Principem nostrum semper victorem contra cunctos adversarios vivificet; salvum tueatur, conservet illæsum: qui Melchisedech, & Abraham æterno tempore feliciter regnare (fecit) in Mundum. Per Dominum &c.

COLLECTIO.

DOmine Deus Omnipotens, qui per sapientiam inæstimabilem, qua ita disposuisti mundum, ut absque Regibus, & Principibus nulla cum pace subsisterent climactera Sæculi, quatinus bonorum florente justitia, cuncta subacta tabescerent perfidorum negotia. Unde, Domine, te supplices deprecamur, tibique devotis mentibus in hac die fundimus preces pro fideli famulo tuo Principe Nostro. ill., atque pro universo exercitu illius. Ita eum, Domine, per dexteram virtutis tuæ contra omnes adversarios semper esse jubeas cum triumphis victorem, sicut quondam auxiliatus es Moysi, dum adversus inimicos suos (alias *tuos*) *dimicans, Hur brachia illius substentaret, usque ad vesperam; illeque lumina levans ad Cœlos, mox te auxiliante, Domine, usque ad internecionem percussit. Perinde te, Domine, subnixe deposcimus, ut*

ut taliter Princeps Noster in cunctis tuo jugiter functus auxilio, innumeros per annos feliciter vigeat in Regno. Per Dominum &c.

POST NOMINA.

D*ominator Domine, qui superstites, atque Defunctos, sicut volueris, misericors tuo tenes in nutu, adesto precibus nostris: ut Sanctorum nominibus recensitis, illorum meritis adjuvemur, atque hæc Sacrificia, quæ Tibi offerimus, & viventibus proficiant ad salutem, & defunctis opitulentur ad requiem æternam. His inlatis muneribus, Princeps noster, & universus Exercitus Illius in muneribus victor ope potiatur Divina, deprecantibus nobis. Et sicut olim Josue dum septies cum tubis mœnia circuit Hierico, ruentibus muris, ilico victoriam cœpit de Urbe: Ita, Domine Omnipotens Deus, orantes deposcimus, ut si qui fortassis conati fuerint Principis nostri contraire imperiis, sub pedibus illius tabescant feliciter prostrati. Præsta Deus Omnipotens.*

AD

Ad Pacem.

Mediator Cœli, & terræ, Omnipotens Deus Jesus Christus, qui pacata, atque pacifica hominum diligis corda, Te supplices deprecamur, ut pax illa, quam tenendam tuis præcepisti Apostolis, jugiter perseverans nostris persistat in cordibus: & sicut David quondam forti manu, spurio percusso Golia, pacem Saulis fecit in populo, ita Princeps Noster, te opitulante, universis devictis undique gentibus, pacifice innumeros per annos suo feliciter splendeat in Regno.

Contestatio.

Dignum, & justum est, Domine Deus Omnipotens, laudes vocum nostrarum, si fas est, concentibus Angelorum aptare, licet illi in Cœlestibus Te in Personis Trinum, Unum Deum in Divinitate sine cessatione laudantes demonstrent ... Sic namque, Te ordinante, Regalis potentiæ Principatum gerat in mundo, quatinus in cunctis Te Deum Dominum, & Auxiliatorem suum semper esse cognoscat. Proinde, Domine, subnixe deposcimus, ut prolixa per tem-

tempora isto in sæculo pacifice , & feliciter Principi Nostro concedas regnare , & quandoque post annorum multa curricula peracta , Tecum æterno aptes in Regno . Per Dominum Nostrum Jesum Christum filium Tuum, cui merito omnes Angeli, &c.

Postrema hæc Oratio in Gallicanis Sacramentariis appellatur *Contestatio* , quæ eadem est ac Romanæ Liturgiæ *Præfatio.* Dicitur autem : *Contestatio Dominicalis* , cum ea Gallicanæ uterentur Ecclesiæ in Liturgia , quæ Dominicis diebus fiebat ; id quod argumento nobis est, Gallicanam Ecclesiam pro Principe, recitato ejus nomine ex dypticis , precari satis non habuisse, sed & in solemni Dominicæ diei Liturgia singulari quadam Oratione , in ipsa nimirum *Contestatione*, pro Rege deprecari consuevisse .

At præter Missas *Votivas pro Rege* , quæ quotidianam Liturgiam pro Principe complectebantur , Ecclesia omnibus fere Liturgicis totius anni Officiis precem pro Rege adjiecit , rata nusquam satis vota Deo offerri pro illo , a quo Reipublicæ pendet tranquillitas. Hinc cum in *Magna Heb-*

Hebdomada Ecclesia Sacris ritibus quam quæ maxime studeret, inter supplicia, quæ pro Christiano populo Deo offerebat, vota, & illud pro Principe obtulit ad nostram usque ætatem. Antiquissimam autem esse hujus disciplinæ originem satis ostendit Sacramentarium Gelasianum, in cujus *Feriæ* VI. sive *Parasceves* Liturgia legimus Orationem: *Oremus pro Christianissimo Imperatore, vel Rege Nostro (illo) &c.*, quibus verbis eadem sequitur, ac in nostris Missalibus Oratio. Jam tum itaque a pristinis illis Sæculis, in quibus diei Parasceves ritus obtinuere, illos inter præcipua fuit precatio pro Principe.

In Sacramentario Gregoriano, in illo Abbatis Grimoaldi, atque in Sacramentario, quod dicitur *Missale Guiglielmitarum Brugensium*, a Pamelio edito (*a*), eadem legitur oratio inter illas, quæ in Parasceves Liturgia habentur. Hinc oratio pro Rege ubique Ecclesiarum in Liturgia hujus diei obtinuit; ut abunde testantur de Romana præsertim Ecclesia *Ordines Romani* a Mabillonio evulgati in suo Museo Italico, supra jam laudatum Missale

ms.

(*a*) *Liturg. Latin. to.* II. *Edit. Colon.*

mſ. Bibliothecæ S. Dominici Majoris, atque cetera quot quot extant tum Monachorum, tum Fratrum Miſſalia ad noſtram uſque ætatem. *Curſus Gallicani* eamdem perinde orationem in Galliis fieri nos docent; inter preces ſiquidem, quæ recitandæ erant *in vigiliis Paſchæ* numero x. hanc legimus orationem: *Pro pace populi, & Regum = Deum, ac Regem univerſæ conditionis Dominum ſuppliciter oremus, ut Regibus, ac poteſtatibus hujus Mundi, eorumque Miniſtris, ſupplicem inter ſe amorem, & concordiam largiatur* (*a*): quam ſane orationem ad noſtrarum inſtar habemus in Miſſali Gallicano Meſſanenſi, de quo ſupra locuti ſumus. Quandonam itaque in Galliis antiqua illa obſoleverit oratio, ejuſque locum Romanæ Liturgiæ alia tenuerit, colligere eſt ex tribus mſ. Ordinibus Sæculi IX. In Miſſali ſiquidem Eccleſiæ Turonenſis, in altero Eccleſiæ Romenſis, atque illo Eccleſiæ Arelatenſis (*b*) Romanæ Liturgiæ orationem *in Paraſceve* legimus; hinc ambiguum non erit a IX. Sæculo Romanam Ora-

(*a*) *Ap. Mabill. Muſ. Ital. to.* 1. *p.* 312.
(*b*) *Ap. Martene De Ant. Eccl. Ritib. to.* 1. *p.*215, *Edit. Pariſ.*

Orationem pro Principe in die *Parasceves* etiam in Galliis obtinuisse.

In Ambrosiana Liturgia ea Dominica Quadragesimæ, quæ olim appellabatur (ut in antiquo Missali legimus) *Dominica de Samaritana*, priusquam Sacerdos *Introitum* Missæ exordiatur, hanc recitat formulam: *Pro famulo Ill. Imperatore, & famula tua Ill. Imperatrice, & omni exercitu Eorum precamur Te*. Sic se habet & Liturgia alterius Dominicæ Quadragesimæ in Missali Giuglielmitarum: *Pro famulo tuo N. Imperatore nostro, & famula tua N. Imperatrice, & omni exercitu eorum precamur te*; quæ ut Sacerdos recitavit, Chorus respondet: *Domine miserere*. Sequitur Sacerdos: *Pro famulo tuo Rege nostro, & Duce Nostro, & omni Exercitu eorum precamur te*, Choro iterum respondente; *Domine miserere*. Ita & in feria sexta Dominicæ quartæ Quadragesimæ, quæ olim appellabatur *Mediana*, in *Ordine Romano* Mabillonii legimus: *Pontifex procedat ad Altare . . . . & dicit orationem pro Rege Francorum*. In Rubrica autem antiquiori desiderabatur vox *Francorum*, quam recentiori manu additam laudato Ordini fuisse, animadvertit Mabillo-

 nius.

nius. Sacerdos itaque, sive Pontifex *antequam procederet ad Altare* pro Rege precabatur, nimirum antequam *Introitus* recitationem inciperet; nequit enim rubrica de iis explicari orationibus, quas Pontifex recitabat in Sacrario, cum illis Chorus minime responderet. Ex eodem Ordine colligimus, quovis Quadragesimæ Sabbato publice etiam in Liturgia Ecclesiam tum Romanam, tum Gallicanam pro Rege precatam esse, cum in illo legamus: ut *quovis Sabbato* (h. e. Quadragesimæ) *flectatur pro Carolo Rege*. Additur pro Carolo Rege, eo quod Ordo ille alicujus erat Gallicanæ Ecclesiæ; sed Liturgia Ordinis Romani erat, quare utrique Ecclesiæ unam, eademque ea in re disciplinam fuisse, conjicere licet. Cum autem medio ævo in Quadragesimæ diebus orationem genuum flexus omnino comitaretur, eam ob rem *flecti* vocabulum pro *precari* usurparunt.

In Germania etiam, atque Galliis quotidie peculiares pro Rege Missas peragebant Presbyteri, vel in quotidiana Liturgia orationes pro Rege speciatim agebant. Hinc in Wormatiensibus Comitiis Anni DCCLXXXI. Carolus Magnus cum de mili-

lita-

litari expeditione aggredienda ageret, populi votis, qui ut Episcopos, Presbyterosque a bellicis immunes faceret officiis petebat, annuens, jussit: *Ut Episcopi deinceps ad militiam abire non cogantur ... . . sed alii omnes in suis Parochiis resideant . . . . & Sacrosanta mysteria fideliter peracturi, atque pro Rege ejusque exercitu . . . . orationes, Missas, Litanias, & eleemosinas persoluturi* (a). Ita in alteris Comitiis idem Imperator Anno DCCLXXIX. eamdem Episcopis, atque Presbyteris tulerat legem; ut niminum tum hi, tum illi tres Missas, totidemque Psalteria recitarent pro Rege, atque ejus Exercitu. Quamobrem in omnibus, tum Pipini, tum filii ejus Caroli Magni, tum aliorum Regum Francorum Capitularibus, Episcopis, atque Presbyteris jubet Rex, ut singulis diebus pro Imperatore, ejusque Augusta domo, atque pro Reipublicæ incolumitate precentur; id quod & eadem lege Monachis præscribitur, præsertim iis, qui *Regiæ fundationis* erant, ut videre est in Capitulari Regum Francorum Anni DCCLXVI.

(a) *Capit. Wormat. An.* DCCLXXXI. *ap. Cointio lib.* VI. *cap.* CCLXXXV.

At præter recensitas hasce, quæ in Mystica fiebant Liturgia, preces pro Principe, olim & in ipsamet Psalmodica Liturgia iisdem orationibus operam navarunt fideles, præsertim in Psalmodia Matutina, quæ in Constitutionibus Apostolicis appellatur: ψαλμὸς ὄρθρινος, h. e., *psalmus matutinus*; sane a psalmo: *Deus*, *Deus meus ad te luce &c.*, ut Chrysostomus nos docet (a), incipiebat illa. Itaque ut matutinæ Psalmorum recitationi finem fecerant fideles, continuo preces sequebantur, primum pro Catechumenis, Energumenis, atque pœnitentibus, quibus *dimissis*, & illæ sequebantur, quæ a fidelibus pro pace, Principibusque fiebant; quæ ea de re εὐχαὶ πιστῶν appellantur, nimirum *preces fidelium*. Harum profecto orationum meminit laudatus Chrysostomus Homilia VI. in Epistolam primam ad Timotheum. Hanc autem disciplinam traditione quadam in Ecclesia servatam fuisse, testatum faciunt Ordines Psalmodicæ Liturgiæ, quibus nostra adhuc utimur ætate: in psalmodia siquidem Matutina *Officii*, ut ajunt, *ferialis* precamur illis: *Domine salvum fac Re-*

(a) *Homil. in Psalm.* CXL. *to. III. p.* 459. *Edit. Paris.*

Regem, *& exaudi nos in die*, *qua invocaverimus te*. Cum enim olim Officium *feriale* unaquaque die recitaretur, quotidiana itidem, & hæc precatio erat; quæ attamen raro nunc fit, poſtquam, ut dictum eſt, Fratrum minorum opera, diſcrimen illud inferri cœpit *ferialem* inter, atque *feſtivam* pſalmodiam. Hinc etſi olim in quavis Pſalmodiæ hora eadem fieret precatio, ut innuere & ipſemet Chryſoſtomus videtur, nunc vero illa Matutinæ dumtaxat, atque veſpertinæ adjungitur Pſalmodiæ, id quod antiquæ hujus precis in Pſalmodica Liturgia reliquum nobis eſt; cum enim Chryſoſtomus καὶ ἐν ἑσπέρᾳ, καὶ ἐν πρωΐᾳ *veſpere*, *atque mane* ὑπὲρ παντὸς τοῦ κόσμου, *ubique terrarum* preces fieri pro Regibus, doceat, omnes complectitur Pſalmodiæ horas illis, *mane*, *atque veſpere*; cum *mane* tum Matutinæ, tum reliquæ diei peragentur Pſalmodiæ horæ, *veſpere* deinde veſpertini Pſalmi: cujus certe Pſalmodiæ locutos cenſemus Tertullianum, Cyprianum, Origenem, qui, ut dictum eſt, operis hujus initio, ne dum die, ſed & noctu etiam fideles pro Principe deprecatos eſſe, teſtantur. Quamobrem cum medio ævo nova, quæ pro-

 diit,

diit, pœnitentiæ canonicæ disciplina, integri psalterii recitationem fidelibus commendatam fecisset; in posterum pro ipsomet Principe tum Episcopi, tum Presbyteri, ceterique Clerici integram Psalmodiam præter illam diei propriam recitasse, nos docent Capitularium Regum Francorum leges, aliaque monumenta *Statutorum* mediæ ætatis.

De iis autem Litaniis, quæ in Sacra Liturgia pro Rege, ejusque domo, atque exercitu fiebant, supra edisseruimus; quare heic dumtaxat animadvertendum est, medio adhuc ævo cum nullibi Ecclesiarum Liturgia fieret, quin illam Litaniis auspicarent; cumque in omnibus Litaniis pro Rege peculiaris quædam haberetur oratio, in Mystica Liturgia pluries Ecclesiam pro Principe deprecatam esse. Quamobrem Ambrosiana Liturgia, quæ antiquos coluit ritus, ejusmodi adhuc utitur Litaniis, præsertim in Dominicis Quadragesimæ, in quibus inter preces, & illam legere est: *Pro famulis tuis N. Imperatore, & N. Duce Nostro, & omni exercitu eorum, precamur te*. Choro respondente: *Domine miserere*. Hinc si quando Respublica calamitatibus afflictaretur, atque in dubiis Imperii rebus, hæ dicebant-

bantur Litaniæ etiam extra Liturgiæ Mysticæ Officia. Sic Hadrianus I. Rom. Pontifex (*a*) ſcribit, ſe ſtatim ac Carolus Magnus ab Urbe diſceſſerat, juſſiſſe: *Ut omnes Sacerdotes ſingulis horis, ac religioſi famuli Dei Monachi per univerſa Monaſteria, & reliquus populus tam per Titulos, quam per Diaconias trecentis Kyrie pro ipſo* (h. e. Carolo), *& felici armorum ſucceſſu contentis vocibus decantarent*. Siquidem longe Hadriano ipſo antiquior erat mos ille inter Latinos, qui cum pro magni momenti rebus Deum deprecarentur, a v. etiam Sæculo pluries *Kyrie* recitabant, ut ex Regula S. Benedecti colligimus, qui ſua *ſtatuta* ei accomodavit diſciplinæ, quæ ſuo ævo inter Latinos obtinebat. Eadem ſtetit diſciplina inter Monachos ad XI. uſque Sæculum, ut videre eſt in ms. Rituali illius ævi, quod evulgavit e Caſſinenſi Bibliotheca Mabillonius in altero tomo Muſei Italici.

Tandem hodiedum inter preces, quæ fiunt ab Eccleſia in cultu SS. Eucariſtiæ, vulgo *quadraginta horarum Expoſitione*, et-

(*a*) *In Codi. Caroli Epiſt.* LV. *Ann.* DCCLXXIV.

etiam prima recitatur oratio, quæ in *Missa pro Rege* habetur: cujus equidem piissimi instituti S. Carolum Borromeum Mediolani Episcopum auctorem merito habemus, qui inter orationes, quas in ea Liturgia recitandas decrevit, in altera parte Synodi IV. Mediolanensis *cap.* III., & pro Rege Ecclesiam precari jussit, ne umquam Apostolica hac prece ulla careret Ecclesiasticæ Liturgiæ pars; adeo Sanctioribus Viris cordi fuit antiqua hæc precatio, a qua potissima Reip. bona quam maxime proficisci, omnis experta est ætas, omnisque fassa semper est Ecclesia.

Nunc autem, antequam meæ scriptioni finem faciam, nonnulla considerare lubet, quæ & Christianum Civem mecum reputare etiam, atque etiam exopto, ut dum Dissertationis perorationem, atque argumenti conclusionem scribere satagam, uno veluti obtutu totius argumenti vis Lectori perspicienda se præbeat.

Quod enim Natura docuit, civium munus, idem & populorum studia erga Principem complectitur, cum ea sit humanæ mentis indoles, ut eum, qui communi allaborat bono, maxima benevolentia prosequamur. Hinc Christus, Patris Verbum, qui sanctissimas tulit leges, non quo insita

ſita homini ſtudia præterverteret, ſed ut naturæ admodum temeratæ motus tum præcepto, tum verbo, tum exemplo, tum potentiſſima, divinaque ope ſua inſtauraret, civibus Cæſari, quæ Cæſaris ſunt reddere juſſit, atque reluctantem depravatæ cupiditatis libidinem ita potenti vicit brachio ſuo, ut ex animo illud pendere Principi officium non politicorum dictatum, ſed facillima deinde lex viſa fuerit. Quamobrem poſtquam Apoſtoli tanto munere fideles inſtruere ſatagerunt, Deo opitulante; quod nec ipſa Paganorum mens, fabellarum concinna inventrix, vel effingere noverat, re ipſa tulit uberrimus Heroum fons, Eccleſia. Hinc merito riſere noſtri Romanorum Heroum facinora. Num ne Manlii Torquati ſevera, triſtiſque indoles, Curii conſuetudinis potius, quam animi temperantia, Scevolæ infœcunda conſtantia cum Martyrum noſtrorum fortitudine, inviƈtiſſimaque mente erit comparanda? Illi profecto quo inani aliis præſtarent gloria, hi quo Chriſto obtemperantes, proprio fungerentur munere, Patriam, Principem, publicæ Rei bona propriæ vitæ commodis prætulere; hinc dum illi eorum efferrentur egregie

fa-

factorum fama, hi humillimum fovebant imo pectore animum; dum illi scilicet sibi, hi re vera Reipublicæ consulere studebant. Merito itaque ait Chrysostomus *Christum leges suas non ad hoc induxisse, ut politias everteret, sed ut melius institueret*; Christiana siquidem Relligione vel ipsa Principi patent populorum intima sensa, qui non ut pœnas evadant, sed quo Deo morem gerant, ejus Imaginem in Principem reveriti, hunc diligunt, hunc adamant, huic maxima exoptant, atque precantur bona; eo ut eodem prosecuti sint amore Majores nostri vel ipsos Principes, qui furenti odio illos persequebantur, natura ipsamet cœlestem hunc invictissimum Principatus amorem obstupescente. Una siquidem eademque Ecclesia tantum fovit usque amorem, cujus luculentissima argumenta prosecuta est, ut ut maximis humanarum rerum fluctibus jactaretur. Una fuit omnium Patrum, omniumque gentium ea in re mens, animus unus: hinc etsi, sævissimæ illaberentur persecutiones, acerrimis hæreticorum obsidionibus Ecclesia oppeteretur, turpissima ignorantiæ caligine obrueretur, eodem amore Princem complecti nusquam destitit,

tit, ad idemque munus omnium mentes, civiumque animos excitavit; qua de re quam late patuit Ecclesia Christi, toto & orbe illa obtinuit precatio pro Principe; diuque, noctuque ubique gentium eximia, atque ferventissima Christianorum Civium pro Principe vota Dei O. M. Altissimum, Divinumque haud frustra petiere Thronum, qui iis annuere votis non est dedignatus, quibus suo excitamur jussu. Hæc si quisque animo parum reputet suo, quanti faciendum sit Christianum hoc civium officium, precis nimirum pro Principe, plane intelliget. At quænam erit turpis illius ignorantiæ caussa, qua fidelium nonnullos laborare videmus, qui cum Christianam profiteantur Relligionem, eos quid illa de Principatu docuerit, quid de sanctissima prece pro Principibus, prorsus latet. Quid itaque reponent hi? In Ministros utique Ecclesiæ crimen merito fingunt, qui cum illos morum, legumque dictata doceant, id genus officium vel negligunt, vel languide nimium explicare conantur. Quotidie siquidem in Templis Ministri Ecclesiæ Verbi Divini explicationi desudant, atque ut de Chrystianæ Relligionis mysteriis, ita

ita & de reliquis pietatis officiis ediſſerunt, iiſque populum inſtituere ſtudent; cur itaque altum inter catecheſes de Principe ſilentium? At non ſiluit, neque præteriit maxima hæc utilitatis officia Chriſtus, atque Apoſtoli. Horum itaque voces, atque Chriſti leges populis explicaturi Sacerdotes, quæ ſint civis Chriſtiani numera erga Principem doceant, ut pernoſcant hi culpa ne dum eos carere, ſi cum omnibus credant myſteriis, ceteriſque operam conferant muneribus, huic ſtudere negligunt officio; potiſſimoque obligari crimine eos, qui ex animo preces pro Principis bono Deo O. M. fundere recuſant. Quamobrem ipſi per ſe Eccleſiaſtici Ordinis Miniſtri exemplo etiam populis eſſe ſatagant, atque in Sacris peragendis officiis in hiſce precibus præire civibus ſtudeant, ut Deus O. M. Chriſtianorum civium vota excipiens, Principibus tranquillitatem, Reipublicæ ocium, Civibus omnibus feliciſſima indulgeat tempora; quod Principibus, Reique publicæ benevertat Omnipotens Regnorum Sator, atque Patronus.

FINIS.

INDEX PARAGRAPHORUM.

§.IV.

§.VIII.

§. VIII.

§. IX.

§. X.

§. XI.